DE VANITATE MVNDI,

Deq; solida hominis fœlicitate.

Explicatio Ecclesiastes SALOMONIS.

Auctore Domno Victorino ab Auersa Cauensi Monacho & Præposito Abbatiæ Florentine, congregationis Casinensis.

Cum licentia Superiorum.



FLORENTIAE.

Ex Bibliotheca Sermartelliana. 1580.

ANTONIO CARAFAE S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

Victorinus Monachus Cauenſis Sal.

IVCVNDIVS mihi nihil, ex omni vita memini accidiſſe, quam quod ſuperiore anno, ſanctiſsimis & conſuetudine & ſermonibus Stanislai Oſij Car. Varmiẽſis, æſtiuandi cauſa apud nos in ſublacenſi cœnobio commorantis, fruendi poteſtas data fuit. Is enim nõ modo feſtiuitate quadam modeſta delectabat, ſed doctrina quoque ſacra mentem aſsiduis ſermonibus recreabat. Tum ille caſu meam cellulam ingreſſus, nactus eſt lucubrationes quaſdam, quas ego in Salomonis Eccleſiaſtem nuper confeceram. Has nullo tempore

interiecto cùm legisset, cœpit à me contendere, quippe qui meum huiusmodi opus mirificè probarat, vt communis vtilitatis causa imprimendum curarem. Erubui sanè ad vocem tanti viri, meas ingenii copiolas tam magno pretio æstimari: summiq; hominis prudentiam, & meam imbecillitatem considerans, collegi tandem me, & quo pacto tanti consilii rationem explicarem, multum profectò ac diù cogitaui. Succurebat illud, non sine causa si me proiicerem, desideratum iri in me prudentiam, sin efferrem intollerantius, futurum esse neminem, qui has vigilias non vehementer reprehenderet. Sustulit hanc dubitationem idem, qui me principio impulerat, Varmiensis. Is enim paulo ante quàm Florentiam venirem, tamquam æris alieni me admonuit, & vt fidem liberarem, quam obstrinxeram, grauiter ille, & amicè in memoriam redegit. Itaque hic nostri huius edendi partus impulsor primus & auctor, siquidem lucubrationes ego has scripseram, rogatu Desiderii Brixiensis sacri Cauensis cænobii tunc abbatis, de me optimè ob multa præstita officia, meriti, & summa familiaritate coniuncti, vt Monachus Casinas; quorum est cum Cauensibus, & animorum

morum

morum peruetuſta coniunctio. & rerum non mediocris affinitas; huic autem egregiè ſatisfeceram, quod explicationem habebat ſtylo ſcriptam, qua poſſet ad mundi contemptum, animum inſtituere ſuum, æternitatiſque cogitationibus eundem alere; quod vero typis mandaretur, ne poſtulauit quidem. Nunc autem edito in lucem cuſtos & Dux fidiſsimus quærendus eſt, qui inter varios hominum ſenſus, & lubricos vadentem tueatur ac regat, vt & liberè ingredi, & tranquillè eo in gradu poſsit conſiſtere, qui vt non ſit dignitatis eximiæ, præſtiti tamen officij, ac in re laudabili induſtria conſtitutæ, exiſtimari queat. Tu mihi vnus ex omnibus (Ampliſsime Carafa) digniſsimus hoc munere viſus es. Primum quod te præclarè ſatis ſentire de me ipſo cognoui. Inſtaurandæ namque Baſilianæ familiæ, arduum opus & excellens, putaſti me non modo opem afferre aliquàm poſſe, ſed rem totam quàm fælicisſimè gerere. Itaque euocaſti ad vrbem, iudicium ea de re probaſti meum, ad Cardinalium ſenatum ſumma cum laude retuliſti, quod in te fuit, ſummo me monachorum græcorum magiſtratu ornaſti. Deinde licet ſis tu in Caſinatem omnem familiam opti-

me animatus, charos habes in primis, & quidem merito; Hieronimum Caracciolum humanitatis exemplum, Philippum Cauensem, Desiderium Brixiensem, Ioannem Euangelistam Florentinum, præstanti religione viros, quos cum ego semper sanctißimè coluerim, eorum monitis satisfacere debeo, nostroque hoc opere tuæ amplitudini dicato, communi nomine testificari, nullam eos prætermissuros partem colendi tui. Postremo quæ singula spectare solent dicandis libris auctores omnes, ea in te vno copulata præclarissime video. Claritatem generis plurimis heroum nominibus eminentem, pietatem animi morum integritate expressam, ardens studium eruditionis sacræ præclaris monumentis insigne, prolixam de eruditis bene merendi voluntatem maiorum exemplo communitam: vt exploratissimum habeam, tectas non solum ab inuidorum rabido flatu has lucubrationes fore inscriptas tuo nomini, sed auctas etiam approbatione bonorum. In quibus & si sapientiam illam non reperies, quæ sensibus diuinis digna esset, conatus tamen atque impetum perspicies; vt cum res ipsæ absint, animum tamen poßis intueri. Patere igitur me à tua modestia impetrare, qui hæc semper

per

per vnicè amaſti, vt tuo nomini hoc opus editũ in lucẽ in tua præcipuè auctoritate conquieſcat. Accedet enim tuis in me beneficijs, id vnum non profecto vulgare, quod meum animum iam amplitudini tuæ deditum arctiore vinculo aſtringet. Vale. Florentiæ. XVIII. Calen. Octobris. M D LXXIX.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

B

C

D

I

L

Lenitate

Opibus

Regum

V

FINIS.

DE VANITATE MVNDI, DEQVE SOLIDA HOMINIS FOELICITATE EXPLICATIO ECCLESIASTES SALOMONIS.

Autore D. Victorino Manſo ab Auerſa Cauenſi Monacho & Præpoſito Abbatiæ Floren.

CAPVT PRIMVM.

Verba Eccleſiaſtes filij Dauid Regis Hieruſalem.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

QVONIAM autem in omni doctrinarum explicatione ſuſcipienda, quod ſibi illę inſtitutũ conſtituãt, ſcire, refert non minimũ: Eo namque indagato rectius atq; facilius cætera cõſequemur. Huius rei primum nobis ratio eſt habenda. Lectorem admonentes, cum plurima magno ingenio, diuinoq; munere, ad ampliſſimum & decus & vſum, ſint à Solomone conſcripta: trium tantum voluminũ monimẽta extare; quippe cum reliqua & iniuria temporum & Dei permiſſu interciderint. Hæc autem tria inter ſe: cum materię diuerſitate, tum inſcriptionum varietate differunt non mediocriter. Quorum planè ratio ab omnibus interpretibus explicata fuit: vt rem actam agere videremur, ſi de iis à nobis aliquis haberetur ſermo. Hoc itaq; onere cum ſimus leuati, pergamus modo oſtendere argumentum libri.

 Et

Et quanquam dissentire, hac de re auctores, non est difficile videre: deuitantes tamen controuersiarum salebras, asserimus; Eius præcipuum esse institutum: declarare quisnam sit hominibus ille finis, cuius gratia sit conditus: hoc est: quo loco humana fœlicitas sita sit. Etenim cætera quæ Ecclesiastes hac concione disserit, huc demum pertinet, & reuoluuntur omnia. Ponitq; à principio statim, generale pronuntiatum illud. Vanitas vanitatum, &c. Quo significet nulla huius seculi bona, ea esse, quę finem homini suum exhibere possint, veramq; illi largiri fœlicitatem. Id enim temporis erant (vt sunt modo) admodum varię inter se hac de re & discrepantes sententiæ. Siquidem aliqui eam in voluptate locauerunt; rerum cognitioni tribuerunt nonnulli: plurimi aut honori aut opibus acceptam retulerunt: quibus de omnibus suo loco ratio (vt par est) instituetur. Maneat modo, totius libri quod sit institutum & finis. Nam tum operam nostram vel vanam vel inconsultam nemo criminabitur: si explicationis ratio vniuersa huc vt spectet, studium conferamus. Quod quia ab aliquibus obseruatũ minime fuit, non est mirũ, si à libri scopo diuertentes, quæ ad rem non pertinent, attulerunt: Quanquam (vt ingenue fateor) id sic me præstare polliceor, vt neq; eorum altissimã intelligentiam, neq; orationis lepida ornamenta, neq; vberrimam varietatem rerũ, assequi posse profitear. Ecclesiastem autem eam ob causam quod de instituẽdę concionis ratione pertractet, minime appellatum sciamus: verum ex munere quo ipse præclarissime fungitur: non enim hic certum aliquem alloquitur hominẽ, sed publice & concione coacta populum vniuersum hortatur atq; edocet. Vt enim Priori libro domesticorum commodo consulens, propriumq; instituens filium, declinandi vitia virtutesq; consectandi normam tradidit: Pari ratione modo, reipublicæ curã gerens in rebus caducis quę pereunt ac veterascunt fælicitatem locandam non esse persuadet: quin potius terrena hæc lõgissime a vera fælicitate ab esse, cũ rationibus tum sui periculo decernit: ne horũ capti amore, veluti sordibus maculati æterni & iucundissimi sponsi cõ plexu

Prouer. 1.
Eccles. 1.
Cantic. 1.

plexu (de quo in canticis canticorum) indigni reddamur. Habetur enim qui voluerit esse amicus seculi huius, inimicus Dei constituitur. Cum itaq; ab ista veritate passim homines voluptatis lenocinio abducantur; erunt hæc hominum mentibus imprimenda diligentius: vt mortalia contemnere nullamq; in hac vita, in qua non ciues sed aduenæ sumus, fælicitatem obtineri posse in animum inducant. Qua de re eximia huius libelli perspicitur vtilitas: Etenim mundi calcandi, carnis libidinis restinguendæ, ac in vno pietatis studio & celestium rerum cogitatione conquiescendi, aditus amplissimus ex eo patet. Quo quidem nihil potest fælicius hominibus hac in vita cōtingere. Merito etiā concionatoris partes in hoc negotio sumit, cuius est propriū, cum ad multos loquatur, diuersas persequi sentētias, verbaq; sua aduersus varia hominum studia accomodare. Quod cum de felicitate agitur qua de vehemens (vt diximus) fuit dissensio: summopere est curandum: Atq; hinc fit, vt in eiusmodi de beatitudine disputatione inita, varias agat personas; modo stulti, modo sapientis, alias probi viri, alias effeminati, & eius generis. Verba autem dixit Ecclesiastes filij Dauid Regis Hierusalem. Quoniam plurimum ad huius mundi ex animo amorem diuellendum, verba valent. Etenim huius rei exempla irridentur non nunquam: eaq; à nullo proficisci consilio existimantur. Sermone vero perurgetur animus, vt optime hominibus consultum sciat, si corporeis vanisq; rebus fælicitatem contineri negemus. Danda est igitur opera vt virtutis splendor, exemplo nostris animis infigatur, mundi vero amor efficacissimis rationibus cōuellatur. Quæ quidem non minimum obtinent momentum, si ab eiusmodi afferantur viro, qui & opum affluentia, & auctoritatis amplitudine, & generis claritate, plurimum præstet. Quibus cum profluenter Solomonem affluisse proditum sit: nullus hæc verba in dubium reuocandi locus relinquitur. Nam ijs prædito, nihil quod ad hanc rem periclitandam desiderari potest noscimus defuisse. Quo sic ratio experientiæ, experientia consentiat rationi. Huc enim spectat id quod dicitur filij

Iacob. 4.

Ephes. 2.

Dauid Regis Hierusalem. Superest tandem lectores monuisse, eo nos explicandi genere velle vti, in quo quidem reconditis sensibus prætermissis, verborum vim atq; sententiam germanam ad libri scopum accomodemus: id enim in hoc libro gentile & proprium esse iudicamus. Nam varias versiones, sensaq; mystica appellata satis elegánter & copiose grauissimi pertractauerunt viri: in primis vero Franciscus Titelmannus, de omni litterarũ genere quam maxime optime meritus: suscipiat itaq; humanissimus lector quod nostro quidẽ arbitrio edendũ haud suscepimus, sed amplissimi præsulis (vt in epistola nuncupatoria dicitur) iussu & hortatu incitati in communne contulimus.

Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

INter alias docendi populum rationes, illa satis videtur idonea: qua proposito prius eo, quod totius est orationis argumẽtum atq; scopus: eius deinde latior sequitur explicatio: hoc enim modo, appparatiores profecto, ad audiendum redduntur animi; & quid argumẽto proposito consentaneum, quid ve repugnans dicatur, facilius percipitur. Qui docendi modus, admodum est nostri temporis concionatoribus, familiaris: quippe quem istius optimi concionatoris institutione didicere. Cum igitur id sibi proposuerit, vt homines ab huius mundi amore absterreret: ab ipsius aperienda vanitate exorsus est: quoniam hac ratione ad id hominis persuadendum, nulla potest accomodatior afferri. Etenim si mortalia hæc, idcirco contemnẽda doceret, quod à cœlestibus æternisq; bonis, quæ in alia expectamus vita, nos excludunt: ac grauissimis & miserrimis atq; adeo æternis, nos afficiunt supplicijs & molestijs. huc id pertinet. Fili recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Itemq; veh vobis diuites qui hic habetis consolationẽ vestram. Hæc cum altiori indigeant fide, vix eos ad harum contemptum excitarent

Luc. c. 19

Luc. 6.

tarent: quin ne defuerunt quidem importuniſſimi homines, nihil mali vel boni mortalibus poſt huius vitæ curſum, euenire arbitrantes; ſed vna ſimul anima diſſolui atq; corpus: deridentes & promiſſa probis præmia æternæ iucunditatis,& intentata improbis ſupplicia miſeriæ nunquam finiendæ. idq; præclare ſapientiæ liber explicauit, in hæc verba. Dixerunt impij cogitantes apud ſe non recte: exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ; & non eſt refrigerium in fine hominis: & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quoniã ex nihilo nati ſumus & poſt hęc erimus tanquam non fuerimus: venite ergo & fruamur bonis quæ ſunt; quoniam hæc eſt ſors noſtra. Quibus & id conuenit.

Sapien. 2.

Cum te mortalem noueris præſentibus exple,
Delitijs animum poſt mortem nulla voluptas.

Ariſt. in æthicis.

Verum enimuero cum vana, & nullam, ad præſtandam nobis animi tranquillitatem, vim habere cognouerimus: id efficietur; vt ea ne flocci quidẽ ducamus. Quod tum explicatius aſſequemur; ſi, quæ ſit huic voci vanitas vis & notio ſubiecta, dilucide teneamus. Vani verbo igitur, duplex eſt ſubiecta ſignificatio: tum id quod ſuo fine caret: (vanũ enim omne dicitur, quod alicuius rei gratia ſuſceptum, fine ſibi propoſito fraudatur) vt ſi æger potionem valetudinis gratia obbibat, nec tantum conualeſcat: vanam eam fuiſſe potionem recte dicimus. Tum id etiam, quod inſtabile eſt fluxum atq; caducum. quidquid enim pertranſiit, nec eodẽ loco manet: vanum eſt. Quare pſalmus. Veruntamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens quoniam in imagine, ideſt celeriter pertranſit. Iam vero cum homo mente ſit præditus & voluntate: quibus (vt homo eſt) vtitur cũ ad euitanda mala, tam ad cõſectanda iucunda. Mentiſq; ſit propoſitum & finis verum. Voluntatis vero bonũ: Eo fit nihil vt homo intelligere, nihil amare poſſit, quod non aut verum ſit; aut ſaltem alterutrius ſpeciem præſeferens. At qui vanũ (vt diximus) finem non aſſequitur; bonum & finis idem ſunt: inde ſequitur, vt nec animus humanus vana diligere queat, quoniam

Pſal. 38.

bonæ

bona non sunt, nec mens illa percipere vel admirari, propterea quod veritas stabile quodam est, & immutabile; vanum vero quia falsum, mobile quodam, præceps & lubricũ. Firmo igitur argumento ad id quod explanari voluit probandum visus est; ne scilicet mundana hæc à quopiam amentur, quod vana, imo vanitas vanitatum: idest vanissima sunt. (Est enim hebraismus: nam cõparationis gradibus hebrei carent) atq; adeo extra propositũ mentis & voluntatis illa collocata, sub quod propositũ vniuersa cadunt, quæ aut intelliguntur aut optantur. Quibus ita constitutis eam antonomiã dissoluamus, quæ ex Moisis auctoritate oriri videbatur: attestantis omnia quæ Deus fecisset esse valde bona: quod si bona, qũi fieri potest vt sint vana? Quæ quidẽ difficultas omnes huius libri interpretes acriter torsit: ac pleriq; omnes in ea tandem sententia cõuenere, Nempe vt vniuersas res bifariã considerari posse dicerent: Vno modo suapte natura, & per se quoquidem modo illis consideratis, profecto sunt valde bona ipsius Moisis auctoritate qui ad hanc naturam rerum procul dubio respexit. Altero modo possunt considerari cõparatione ad Deũ siue proportione, quo sanè modo vanas illas esse nemo inficiari potest. Ex quo Iob: Astra (inquit) non sunt munda in cospectu eius: & in Angelis suis reperit prauitatem. Quæ conciliatio quamuis auctores habeat præstanti doctrina & sanctitate viros: sit etiam per se verissima, non tamen videtur huius libri sentẽtiam satis explicare nec scopum attingere: vel certè manca est concisa & per obscura. Quam enim (quæso) vim habere potest ad contemptum rerum hominibus confirmandum ac persuadendum, quod omnia ad Deum anologia, idest Deo comparata nihil sint? Quando possent mortales collatione rerum ad eas ipsas, & mirifice illas amare & magni pendere: Quocirca existimo rem ita verius ac planius explicari posse, vt dicamus, Ea tantum homines debere floccipendere, quæ à felicitatis ratione sciuncta viderint; Sunt enim quam plurima, in quibus vt beatitudo ipsa sita non sit; illorum tantum moderatus vsus veræ beatitudinis est ad miniculum: cuius modi sunt inferiora

Genes. 1.

Iob. 4.

riora

riora omnia à summo opifice architecto Deo, magnam partem, in id procreata, vt homini ad consequendam fælicitatẽ famulentur & inseruiant. Superiora vero & in creata vt diuinum numen, summaq; illa mens, sola sunt, in quibus solidã beatitudinem & requiem exquirere, quęsitam reperire potest homo. Si pacem igitur, si quietem si beatitudinem in ijs caducis parare homo sibi studeat prorsus nihil aget seq; frustratum animaduertet: cum hæc res id in cuius munus institutæ non sunt, largiri minime queant. Quodquidem recte Diuus Augustinus explicauit his verbis. Fecisti nos ad te Domine & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. In solo namq; Deo, cuius nos exemplar & imago sumus: beatitudinis spes omnis collocanda est: qui est vera & solida beatitudo. Quare vt concludam; si nos vt quietos, vt fælices vt beatos reddant, expetantur: vanæ sunt atq; vanissimæ. Sin autem ad rectum vsum, cuius causa factæ illæ sunt, vsurpentur: bonæ & valde bonæ sunt. Nam demostrauimus proprium earum esse vsum, hominibus inseruire, non autem illis pacem, quietem, beatitudinem impertire. Iure igitur res illę vanæ vocantur in quibus quietem homo si quęrat non inueniat, fælicitatem si expectet frustra expectet, finem suũ si persequi ac tenere cupiat, vanus fiat.

D.Aug.in lib.cõfess.

Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo sub sole?

PErgit modo antecedentis sententiæ reddere rationem, ne eam quisquam reijceret, si quidem posita fuit, non autem vt veritati consentiens, argumentis probata. Cumq; eius vis simplici ratione, nulla scilicet interrogatione facta, efferri potuisset: hoc modo. Nullum homo ex vniuerso labore suo refert fructum. Oratorio tamen modo vtens, ad maiorem explicandam vim rogatiuncula vsus est, dicens. Vt quid homines post primi parentis in diuinam pietatem scelus, summis laboribus & curis se se, vt in vanis atq; lubricis rebus fęlicitatẽ consequantur, conficiunt & diuexant? quando procul dubio opera eos spesq; fallet; nec aliquid præter susceptũ ipsum laborem lucrabuntur. An non vana meraq;

sunt

ſunt ſomnia? Pulchritudo breuis & fragilis, iuuentus vitæ, feruor laſciuientis; canities triſtis vitæ occaſus; imperio alterius ſubeſſe graue; præeſſe operoſum; nobilitas vetus ſanguis; gloria aer; ſatietas petulans; inedia diuexans; matrimonium vinculum; liberorum copia curæ neceſſariæ; mater orbitas; forum vitiorum ſcola: quies imbecillitas; artes abiectorum hominũ, anguſtus alienus panis, agricultura labor, nauigatio infida. Ac ſic omnia voluuntur anni temporibus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mæroribus, calamitatibus, ſecundis rerum ſucceſſibus. Vt ſatis ſit excors qui his non deterritus, ſuas curas omnes auocet à mundo, in cælo collocet. Etenim vt egregie externi docuere philoſophi. Omnia cũ quicquam moliuntur bonum quodam cuius gratia agunt, ſpectant; idq; præclarius in homine perſpicitur, quippequi mentis & rationis eſt particeps. Quo circa ſi eum quem ſibi laboribus, vult comparare finem, ijs non aſſequatur: profecto ſeſe continebit, atq; à laboribus ſibi parcet: fine enim dempto, cuius erant ſuſcepti gratia, illorum quoq; ratio tollitur. Et ea re tandem intelliget ſupra ſolem labores eſſe collocandos: hoc autem eſt: in ſummi tantum Dei viſione fęlicitatem ponendam. Verum enimuero quanquã multa hoc loco de generibus laborum congeruntur; vt tamen verborum ex vi habetur is bifaria ratione partitur. Nã vel ſub ſole, ideſt in tẽpore, in decurſu, in varietate eſt: vel ſupra ſolem ideſt in æternitate in cælo in perhenni cõſtantia. & quidem qui potiundę fęlicitatis gratia, ingenti labore parãt diuitias; delitias expetunt; honores ambiunt atq; prænſant; perinde ac in ijs beatitudo conſiſtat: ſub ſole certè ſumunt labores. Qui autem vitæ genus vel plurimis laboribus inſtituunt rectum, pietatemq; omni contentione perſequuntur ſupra ſolem procul dubio ſuſcipiunt labores quoniam merces illos manet æterna. Vnde Apoſtolus. id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Atq; hic quidem labor, noſter prorſus non eſt: nimirum cuius & Deus gratiæ munere indulto partem principem

Corint. 2. cap. 4.

cipem sibi vendicat. Apostolo teste plus omnibus laboraui, non ego, sed gratia Dei mecum. Verum labor caducarum rerum susceptus gratia, noster est, atq; sub sole: quando vita hac defuncta, ijs omnibus priuabimur. Nihil enim habere potest summa veritas, ad quam contendimus, cum inanitate commune. Hinc sacra oracula. Nihil in die vltionis proderunt thesauri impietatis. Impij quoque in sapientiæ libro conqueruntur. Quid nobis profuit superbia aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra &c. Sic ergo nihil eximium, nihil præclarum, nihil expetendum refert homo, de vniuerso labore suo sub sole: præterquam merum laborem, suique ipsius excruciatum & miseriam. Id namque hoc sermone explicatur.

Corint. 1. cap. 15.

Prouerb. cap. 10.

Sapien. cap. 5.

Generatio præterit generatio aduenit, terra autem in eternum stat.

RErum instituens mutabilitatem ostendere: atque eæ quam sint à vera fœlicitatis ratione abhorrentes: ferè vniuersa percurrit, in quibus positam eam arbitrantur mortales: planèque ostendit, prorsus alienum à veritate esse, vt ex rebus ijs lubricis, fœlicitatis fructum capere quisquã possit. Exordium autem ab hominum genere sumit, siquidem in hoc mundo tenent hi primas: atq; id circo si vanitatis ratio veraciter depræhendatur in eis, cæterorum etiam quam futilis sit & inanis ad fœlicitatem exhibendam vis & natura, fit luce ipsa illustrius. Egregie autem eius rei & satis accomodatam veritatem aperit, cum fabulę vel tragediæ speciem vitam hanc asserit præseferre. Tria namque in fabula spectantur Scenæ videlicet immobilitas, diuersarum personarum actus sibi succedentes, demum vbi quis suum munus expleuerit scena egressus, scenicis postmodum vestibus vel gestu vti non licet. Haud dispari modo vita hæc præsens fabula est. Habemus vtique scenã terram suo pondere libratã atq; stabilem, Actores, homines omnes, Excessum è scena, mortē. In hac ergo fabula, generatio, præterit, generatio aduenit,

quoniam vnius ortus, alterius est interitus : atque dum ad hanc scenam aliquis nascens accedit, alter obiens ex eadē excedit. Varios quoque perspicimus personarum actus, Periti imperiti, diuitis egentis, regis abiecti, liberalis forma, illiberalis, dignitate decori, eadem spoliati, & alia eiusdem generis. Animaduerte diuitis actū. Habes (inquit anima bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare. At extra scenam euocato dicitur. Stulte hac nocte repetent abs te animam tuam quæ autem parasti cuius erunt? Meritò quidem, nam opes, dignitates, delitiæ, honores, huius sunt quasi scenæ vestes, dum extra eam constituimur, quidni iure optimo vti illis minime liceat, quando alteri ingredienti scenam ad vsum cedere par est? ob id enim terra perseuerat, vt sit veluti theatrum in qua hæc fabula peragatur. Et quemadmodum qui in scenis, viliores abiectioresque personas referunt, plerunque ingenio ac nobilitate præcellūt quod eorum gestus exprimere ingenij plus requirit: ita procul dubio in hac mūdi scena, qui calamitatibus, erumnis, rerumque difficultate premuntur, vt Apostoli, Martires, piorumque hominum cętus, de quibus Apostolus sancti ludibria experti insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, circuierūt in melotis & in pellibus caprinis. Hi post excessum scenæ æuo fruentur æterno, omni præstantia cumulati. Etenim hoc illud est. Absterget Deum., omnem lacrimā ab oculis sanctorum: & iam non erit amplius neq; luctus neq; clamor sed ne vllus dolor quæ prima abierunt. Quid poterat ad mundi contemptum accomodatius afferri? Cum in hac rerum luce exigua, quamuis delitijs, opibus, gloria, cæterisque ornamentis affluamur abunde; illud certè sequitur; vt actu tandem expleto omnibus ijs destituamur. Cuius rei vates Baruch apertissimum prębet specimen. Vbi sunt principes gentium & qui dominantur bestijs quæ sunt super terram: qui in auibus celi ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non est finis thesaurorum acquisitionis eorum; qui argentum fabricant & solliciti sunt: nec est inuentio operum illorum: & tamen extermi-

Luc. c. 12.

Hebr. caput 11.

Apocalip. cap. 21.

Baruch. cap. 3.

terminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij in locum eorum surrexerunt. Ac si diceret. Generatio præterit, generatio aduenit: terra vero in eternum stat. Postremo in æternum stare eò dicitur: quod diutissime persistat, quinimo solum facies eius extremo in iuditio commutanda erit. Huc enim spectat illud. Vidi cælum nouum & terram nouam. Ea ergo quæ diuturna sunt, sacrarum literarum more, appellantur, æterna. Hinc in exodo. Colligetis poma de collibus æternis. vt ex eo quod dicitur in æternũ: minus aliqui adduci debuerint, quo de viuentium terra id exponerent nisi reconditi ac mystici sensus haberent rationem.

Apocalip. cap. 21.

Deut. c. 33

Oritur sol & occidit & ad locum suum reuertitur ibiq; renascens girat per meridiem & flectitur ad aquilonem.

INter omnia quæ globosus iste mundus complectitur, sol profecto obtinet principatum. Vniuersa namque tum venustate pulcritudineque, tum efficiẽtia longe superat. Quid enim pulcrius, quid sole ipso efficacius? Is diem toto cælo luce rutila diffusa effecit: is terram conuestit floribus, herbis arboribus, frugibus: & modo accedens, tum vero recedens, binas in singulis annis reuersiones, ab extremo contrarias facit: quarum interuallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram, nempe hyeme, cum girat per meridiem: tum vicissim lætificat vt cum cęlo hilarata videatur, quando flectitur, verè ipso ad aquilonem. Tunc enim riparum affert vestitus viridissimos, fontium liquores perlucidos, camporum amenissimos flores, volucrumque suauissimos concentus. At vero & si mirifice hic fulgeat, totque rerum pariat vices iucundissimas, â miseria tamen & vanitate se se vindicare non potest: quin noctis opacacitate, sui decoris atque ornatus detrimentum patiatur, & tanquam mortalis quædam vis, occidat. Vt sic mortis nomen in vitæ occasum merito sit translatum. Nihil ergo stabile, nihil expetendum, vel in pulcherrimis ac efficacissimis rebus, quãdo in sole etiam inanitas, vim exercet. Solis autem occasus atque ortus quis sit ne dubitã

Psal. 18. dum quidem eſt. Cum enim manè miri fulgoris radijs, velut delitioſiſſimus ſponſus, è terra eleuatur, ad hanc quam colimus, terræ oram illuminãdam, exoritur: atque veſpere dum ſe ſe ad oppoſitam partem abdit, occidit ac velut emoritur. Porro autem ſunt ſua peculiari cõuerſione anni tempus explet, duodecim ſigniferi orbis ſigna percurrẽs: quorum ſex ad auſtri plagam inflectuntur, ſex alia ad aquilonem vergũt itaq; quamdiu in illis commoratur hiems & autumnus: in iſtis autem cum fuerit, ver fit & æſtas. Animaduerte autem ea re ortus atque occaſus meminiſſe, ne ſi lunæ obiectu vel interpoſitu ſolem deficere dixiſſet, miſeriam & vanitatem eſſe negares: at cum ortus & occaſus qui rati & immutabiles ſunt mentio habita fuit; efficax habemus miſeriæ argumentum. Huc accedit quod hac ſolis cæterorumque aſtrorum ſtata conuerſione, omnium quę ſub eorum ſunt complexu, commutatio fit: redduntur que ortui obnoxia & morti. Vt conſentiens ſit pręcedentis ſententiæ connexio cum pręſenti. Non eſſe, ſcilicet, abſurdum, ſi homines mortis addictos aſſeueramus, cum cælorum corpora, quorum ſpectaculo nihil poteſt admirabilius eſſe, nihil pulchrius: varias ſuæ lucis patiantur mutationes & obitus. Quod autem ſolis nomine Chriſti Domini ſpeciem interpretantur nõnulli, cum verus Malac. c. 4 ſit ſol iuſtitię: quoniam ad reconditum id attinet ſenſum, alijs deſcutiendum relinquimus.

Luſtrans omnia in circuitu pergit ſpiritus & in circulos ſuos reuertitur.

ALia mundi parte, quam miſere nobiſcum agatur, explicat, nempe ventis: qui plerunque diuinis in literis ſpiritus appellantur. Atque huc pertinet, id Chriſti Domini: ſpiritus vbi vult ſpirat &c. Pſalmus quoque ſpiritus (inquit) Ioan. c. 3. Pſal. 10. procellarum. Nam cum huic voci ea ſit vis ſubiecta vt molis & corporeæ concretionis quidquam expers ſignificetur: tũ venti, ſenſu tantum tactus percipiantur, cæteros effugiant: merito ſpiritus proprie nuncupantur. Quod etiam ratione

impetus

impetus conuenire illis rationi est consentaneum. Ij ergo eã obtinent vim, vt citissima reuolutione vniuersum peragrentur orbem,& vel ad meridiem vel ad aquilonem siue ad ortum siue ad occasum cum sint tenuissimi permeant, tempestates excitant,maris concitant fluctus, aeris serenitatem turbant,nubes modo dispellunt,modo afferunt,vt vix sit quidquam violentius eis. Attamen non est quin & ipsi intereant iterumq; oriantur : nullaque constantia, nullo rato ordine in circulos regrediantur suos; quoniam alij cum desinunt, alij rursus excitantur. Ex quibus licet colligere ne ventis quidem vel innata vis,vel cursus celeritas,vel naturę tenuitas adiumenti quidquam præstare, quominus miseræ non subiaceant vanitati. Itaq; quid præstare poterunt humanæ vires languidę,cursus noster (si ventos spectes) testudineus: temperamentum flaccidum?

Omnia flumina intrant in mare & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur vt iterum fluãt.

TErra vniuersa, in media mundi sede locata, fontium gelida quasi perhennitate,amnium quasi pellucido liquore, incredibili varietate distinguitur. Sunt enim ferè ac ipsius terræ sanguis, fontes ac flumina: ex quibus & virgultis vitæ humor, & animantibus potus abunde suppetit. Hinc illud psalmi, Intermedium montium pertransibunt aquæ, potabunt omnes bestiæ agri. At mare vastum, concitatum, turbidum, salisque sapore aspernabile, insuaue; eorum tantam gratiam absorbet,confundit,absumit: vt vel ex hoc nihil cõstans,nihil beatũ ducamus: quod suaui suo murmure ac fluxu fontes ad mare vt ad interitum proprium perducuntur: quodque vanitatis rationem exauget, eorum pernitie atq; interitu, nihil accedit ad mare, nihil lucratur. Hic sanè sensus quam maxime est libri instituto consentiens. Vt colligamus omnium esse vicissitudinem rerum.Porro quonam modo vel è mari oriantur flumina,vel labantur ad eum, non satis est perspectum. Quinimo eorum pleraque magnis nascuntur

Psal. 103.

ſcuntur è mõtibus,qui multo interuallo diſiunguntur à ma ri:itaque minus veriſimile eſſe videtur,omnia flumina in ma re ingredi,vel egredi ex eodem. Verumenimuero ſi auctori tati eſſe cedendũ par eſt, nulla eſt cum iſtius viri auctoritate conferẽnda,qui diuino afflatu hoc ipſum protulit: ſin rationi fides eſt adhibenda; non eſt hic liber ab ea ipſa imparatus. Etenim omnia diuerſa & multa, quæque ſub eodem genere continẽtur, ad vnum ſui generis primum atque præcipuum tanquam ad caput & originem referri neceſſe eſt. quemadmodum calida omnia ad ignem referuntur, à quo quiquid caloris eſt,in illis deductum eſt,quodque vniuerſis antecellit calore. Ex quo efficitur aliquam congeriem aquarum cõſtituendam eſſe,ad quam aquarum fontes ac riuuli recurrãt ex eademque decurrant: Cui autem eſt dubium id mare eſſe, quando hoc ipſum ratio ſuadet & ſenſus? E mari igitur per ſecretos quoſdam cuniculos aquæ omnes profecto deriuantur. Vt enim in animali è corde ſanguinis venæ ducuntur: ita è mari etiam aquarum venæ exoriuntur. Quodquidem à Platone in Phedone ſub tartari nomine aſſeritur.Neque hoc adeo cum ariſtotelica pugnat ſententia, quin id huic conſentire veroſimilius videtur. Is enim dicit ex aere in terræ meatus,qui multi vbique ſunt, illapſo & in ijs propter loci frigiditatem amiſſo tepore, cum id concreſcat fontes ac flumina oriri: tamen cum è mari multis partibus magis, quam alio ex loco, vapores excitentur: quid obſtat ne dicamus ex ijs intra terrę viſcera illapſis,vt idẽ ait,quanquam flumina dimanant,ad mare nihilominus id referendũ eſt,vt ad caput pręcipuum à quo vapores etiam ipſi egrediũtur. Quæ ſanè conciliatio ſi cui minus placeat: teneat quod verbo Dei & experimento conprobatur. Multas, videlicet, eſſe terræ venas è mari ductas,a quibus flumina fonteſq; omnes naſcantur; Aperte namque vt cum puteos defodimus videre eſt, fontes ac flumina,eaq; maiora vel minora, vt aquæ vena fuerit,enaſci non modo è montibus,ſed è planis etiam locis, vt de fontium ac fluminum multorum cõſtat origine. Quocirca non eſt cur quiſquam adduci cum Ariſtotele debeat,

beat,vt è solis montibus flumina nasci credat. Est prærerea animaduersione dignum, quod ea ratione ad mare flumina labuntur,vt iterum possint manare atque fluere: si enim sem per ex eo quidquam decederet,nihil autem accederet,restin gueretur tandem. Quoties itaque fluminum atque fontium clarissimo atque gelidissimo cursu iucunditatem capimus, occurrat animo illico ad mare per inde atque ad interitum festinare; neque diuersam esse de nobis ipsis rationem habē dam, omnes enim (vt antiqua monimenta dicunt) delabimur fluentis aquæ more.

Cunctæ res difficiles non potest eas homo explicare sermone.

DE felicitate omnium expetendorum vltimo, varia fuit & per obscura hominum vel eruditissimorum sententia vt in præfatione explicauimus. At ij quibus in rerum co gnitione locandam eam vero similius visum fuit,acrius atq; proprius accessisse ad veritatem existimari debent: quorum quidem peripateticus Aristoteles facile princeps, fuit; quod in contemplatione mentium cælestium summum hominis bonum collocauit. Sed is quam vario versetur in errore,non est difficile videre.Nam si loqueretur de mentibus corpore solutis,& vitæ futuræ fœlicitatem quereret,theolo gis profecto aliquid diceret. Sed cum de immortalitate ani morum,tum hoc, tum illud, nec idem dicat semper; quidq; potissimum sentiat difficile sit intelligere: de altera profecto uita,quam uel nō habebat exploratam, uel penitus igno rabat, ecquid dicturus erat homo, aut impius, aut certè uarius & anceps sensuumque præsidio destitutus? de fœlicita te itaque præsentis uitę loquitur. Hinc enim in ethicis & po liticis,opes,diuitias,amicos,salutem, cæteraque huiusmodi caduca & mortalia bona quasi fœlicitatis adiumenta requi rit. Quamobrem de istorum & Aristotelis iuditio dubitari potest, recte ne an secus dixerit. Verum qui Ecclesiastes hāc sententiam intellexit is sine dubio poterit eiusmodi errorē

depre-

deprehendere. Nam cuiusmodi fœlicitatem habebit superna illa ac super cælestia contemplando animus, tanta mole corporis non onustus, sed obrutus? Cogitationes (inquit sapiens) mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ nostræ. Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animum, & terrena in habitatio sensum multa cogitantem. Quocirca præclare atque satis apte dicitur. Cunctæ res difficiles non potest eas homo explicare sermone. Cui quidem mirandæ atque dignæ Solomonis sententiæ consensit id, quod seuere atque prudenter dixit Aristoteles. Mentis nostrę aciem non aliter ad ea quæ manifestissima sunt caligare, quam noctuæ oculos ad solis fulgorem. Quo magis consilium Aristotelis nonnulli, ac recte quidem, admirantur, quod cum non ignoraret quam infirmæ essent ingenij nostri uires; memoria angusta, fluxa, infidelis; acumen retusum, impeditum, debile; segnis diligentia & tarda, in eo constituerit fœlicitatem quod adeo in hac uita tenue est & exiguum; adeo obscurum & imperfectum; adeo infirmum & instabile; adeo non per se idoneum ad beandum: adeo deniq; paucorum hominumm, ut nihil propemodum habere uideatur ex his quæ ueræ fœlicitatis definitio continet. Qualis enim fœlicitas est quæ frequentissimè intercipitur, & rebus abiectissimis cedit? quę nō est commune bonum generis humani; sed quod paucissimi consequi ac tenere possunt? Ad quam si omnes homines (ut par est) tamquam ad finem conarentur, respublica omnis interiret? Quæ aucta hominis requiem non augeat, sed laborem? Quę hominis desiderium non satiet, sed excitet? humana quippe mens quamdiu hic uiuitur, rerum cognitione torqueri potest, satiari non potest. Non itaque rerum cognitio fœlicitas erit iudicanda ut quam morbus tollere ualeat, dolor intercidere, inopia interturbare? Maxime cum magna sit ipsarum rerum ex materiæ obuolutione obscuritas, ut rectè dixerit sapiens, difficile extimamus quæ in terra sunt & quę in prospectu inuenimus cum labore: quæ in cęlis sunt quis inuestigabit? Siquidem ingens etiam adest animis nostris ad ea pernoscenda imbecillitas; ut æque in rebus ipsis ac nostris

Sap. c. 9.

Eccle. c. 9.

Metaph. 2

Sap. c. 9.

ſtris ingenijs difficultas ſit reperiendæ veritatis. Qua de re non eſt operoſum agnoſcere quomodo eas homo ſermone explicare non poſſit. Nam ſi ſenſa noſtra vocabulis, vt notis atque ſignis aperimus, fit vt maior ſit in rebus explicandis quam in cognoſcendis difficultas. Nemini enim eſt dubium plura nos poſſe mente concipere, quam oratione efferre; vel præſtare reipſa. Siquidem præclare cum eo agitur, qui animi ſenſa verbis poteſt exæquare. Accedit etiam quod optimus parens Deus adeo hominum imbecillitatem vincit; vt longe plures res ipſe condiderit, quam ij nomina quiuerint excogitare. quo factum eſt, vt vno eodemque nomine varias res & diuerſas ſignificarent: quod certè omnis ignorationis, erroris atque peccati ſeminarium fuit. Huc enim referendę ſunt nominũ ambiguitates, verborum tranſlationes, orationis diuerſi tropi, quibus longiſſimè à veritate depellimur.

Non ſatiatur oculus viſu & auris non impletur auditu.

MAgnam ex harum rerũ ſpectaculo quæ ſub ſenſum cadunt, animus capit voluptatem. Tantam namque varietatem pulcritudinemque rerum ſuperarum atq; celeſtiũ tantumque mundi ornatum ea re optimus Deus effecit; non modo vt illorum auxilio vitam iucundam traducamus, ſed etiam ex eis humaniſſimum & beneficũ parẽtem eſſe, ipſum agnoſceremus. Quod ſi in eis quæ ſenſibus percipiuntur, fœlicitatem, nõ diuinæ cognitionis adminiculum collocemus, decipimur profectò: nec inde optatam animi quietem cõſequimur. Nam vt ad minima veniamus; minime eorum quę ſub aſpectum aut auditum cadunt, animus re vera recreatur. Quin vt teneãtur iucundiſſimè in re aſpectabili vel canora: tamen è veſtigio ſatietate oppreſſi, ad alia, faſtidioſa anxietate ſe conuertunt. Ex quo efficitur vanum eſſe ſtudium eorum, qui in formis pulcherrimis ſpectãdis, in canoris fidiumque ſonis ſuauiſſimis audiendis, fœlicitatem locatam arbitrantur. Cuius rei ratio talis affertur. Senſus non ad rem vnã tantum percipiendam inclinantur, ſed ad ea omnia quæ eodem ſub genere continentur; vt aſpectus ad colores omnes,

quęque colore participant: auditusque ad vniuersa canora. Quo fit vt eius vis expleri vnica re percepta minimè possit: habet enim propensionem ad omnia. Quocirca cum instrumentis corporeis vtriq; ob eundis suis actionibus vtantur: vnicam etiam, vel saltem multas, non omnes queunt percipere: neq; enim fieri potest vt quis simul omnes videat colores: vel omnia sentiat canora auris. Dum ergo vno vel pluribus aspectus, auditusque oblectando fruitur, illico quæ reliqua sunt exposcunt, non contenti, neque satiati: siquidem expleri hi (vt diximus) vnico vel pluribus non possunt, ad omnia cum sint inclinati. Itaque vt id quod cupit sensus assequatur in vno; aliud tamen exposcit, tandemq; omnia quasi percurrens, ad id quod prius dimiserat fastidio plenus reuertitur, vt merito sua ipsorum varietate & instabilitate torqueantur, atque à quietis & tranquillitatis portu longè dimoueantur: nisi id occurreret vnum, in quo omnia vel aspectabilia vel canora continerentur: quod quia minime fieri potest præclare dixit. Non satiatur oculus visu. Sed quanquam adhibita eiusmodi ratione id est tantopere comprobatum: eius tamen si quispiam aut in seipso aut in alijs experimentum sumet, sanè omni veritati nixam sententiam perspiciet. Nam pulcherrimis & elaboratis signis ac tabulis teneantur oculi, cernant & viridissima prata, mulierum egregias formas, varias maris terrarũq; oras & ciuitates; magnaque is afficiatur voluptate: certè satietate depressus animus, ad noua aliqua perspicienda se tradet. Sic prorsus & si iucundissimos exaudiant aures fidium concentus, canoras voces vel elegantem sermonem, profecto ac si nihil audiuerint nouis se permulcendas dabunt. Quomodo igitur nè dicam inane agunt, sed insane, qui eo sitam fœlicitatem autumant, vt mira aliqua & noua aspectu excipiant vel aure? Etenim horum gratia signorũ ac tabularum summo sumptu exquirunt genera, peregrinas multo periculo obeunt regiones, varios hominum mores, vt concentus & sonos ab eis hauriant, patiuntur: nec quidquam tandem referunt aliud, preterquã animi tedium atque fastidium. Pulcherrime Dauid. Auerte, in-

Psal. 118.

te, inquit, oculos meos ne videant vanitatem. Ac id circo aspectus atque auditus mentionem sapiens egit; quoniam duo hi sensus, cæteros nobilitate antecellunt, & principem in delectatione facienda tenent partem. Quotus enim quisque est cui pulcherrima non afferant nō mediocré voluptatem ex eorum aspectu? Et quem non oblectent concentuū, nouarumque rerum & mirabilium auditus? Etenim natura comparatum est vt cognitio, ex qua voluptas omnis enascitur, ab ijs sensibus proficiscatur in primis. Quo fit vt si in aspectus iucunditate auriumq; voluptate, constituta fœlicitas vane sit: multo id magis in cæteris sensibus eventurum cogitari potest.

Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est: quid est quod factum? ipsum quod faciendum est.

QVoniam autem ea re, multa tum audire tum aspicere concupiscimus quod noua sunt. Vehemēter enim homo rationis particeps rerum nouitate allicitur. Nam ex ijs non rerum modo scientiam, quam magnopere expetit, consequitur; verum etiam in eius rei cognitione singularis efficitur, ceterisq; præcellit: quo nihil iucundius homini potest cōtingere, quippequi gloriæ magnopere est appetens. Quocirca mirari nemo debet, si homines res nouas omni studio persequantur: quando omnes in eo sitam esse fœlicitatem putant, in quo nihil cum cæteris commune habent. At qui cū deprehenderit, nihil mirabile, nihil singulare, nihil nouū, in hac rerum vniuersitate esse: quam misere sit lapsus deplorabit: id tamen hoc loco à sapiente asseueranter dicitur. Eadem scilicet prorsus neq; diuersa, & quę prętererierūt, & quæ aduenient, esse. Quam secutus comicus ratione ait. Nihil dictum nō sit dictum prius. Præclarum verò id est, quod cum de rebus præsentibus rationem haberet: haud dixit. quid est quod est? quinimo quid est quod fuit? Quoniam lubrica omnia & instabilia fluxa atq; caduca decernit. Omnia namque hoc in mundo ea ratione dicuntur esse, quoniam fiunt:

Teren.

neq; enim antequã ederetur esse potuerunt, neq; post quam sunt edita : nam cum celeri cursu omnia labantur & fluant, eodem certè non consistunt. Itaque hæc eó sunt, quod fiunt. Porro quæ fiunt, semper in motione consistunt. Cuius rei aptum exemplum habemus ex sole. Is enim cum in sua conuersione, mane exoritur, conuersio tum non est : siquidem ad finem nondũ peruenit: neque meridie cum non sit adhuc conuersio expleta. At vespere, cum ventum ad calcem fuerit, conuersio prorsus desiit, neque est. Haud secus, res humanæ quoniam labuntur & transeunt, nullo pacto sunt, sed fuisse eas merito potest affirmari : quare dicitur congruenter. quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Veruntamẽ non ea ratione præterita, futura esse censendum est; vt eadẽ prorsus existimentur. Eorum enim esset error qui triginta sex millium annorum spatio, cuncta in idem excitatum iri sunt arbitrati: atque id temporis (vt aiunt) interuallum est quo cęlum, queque cœlestia sunt regredientur eo, vnde progredi cœperunt, magnusq; annus nuncupabatur. Quæ opinio quam sit à veritate aliena cum Aristoteles, tum insignes pleriq; philosophi præclare docuere. Neque enim fieri vllo pacto potest, vt tantam habeat vim natura, quo iam extincta & corrupta iterum reuiuiscant & excitentur. Quanquam præclaro fidei lumine extremis temporibus diuina vi futurum existimamus, atque adeo certo credimus. Quod vero ad præsentem explicationem attinet, similitudine quadam seruata, dicuntur à Solomone eadem esse nec varia : vt ea sit verborum vis. Quidquid in mũdo est in diuitijs honoribus, studijs, hominumque ingenijs atque fortunis, aliud non est nisi id quod est futurum. Siquidem hæc diu permanere nequeunt: cum eis succedant alia quæ non sunt, sed erunt. Ex quo efficitur vt efficacissima, ad eiusmodi calcanda, nitamur ratione; quod futuris & quæ profus non extant sunt similia quæ vt non sunt, quoniam erunt; sic eo nunquam sunt, quod fiũt. Quamobrem vel res ipsę sint, vel rationes quæ in rebus versantur, vel fiunt: semper hac miseria & vanitate inuoluuntur; vt non solum tanquam noua & singularia magni pẽdenda non

da non sint: quin vt ea quæ non sunt, extremo sunt loco du cenda. Quid est quod factum est &c. nempe in scientijs per discẽdis, bellis gerendis, prouintijs visendis, opibus compa randis, rebus publicis administrandis, honoribus acquirendis, senum iuuenum, mulierum marium, nobilium, abiectorum & id genus, studijs & ingenijs, id omne lubricũ est atq; vt id quod iam fiendum est. Demum difficultatem non afferat istius sententiæ ratio: scilicet quid est. Vt de essentiæ ratione, quęrere videatur & tamen de similitudine respõsum præbcat. Siquidem collatio interrogationis ad finem & fœlicitatem afferendã refertur. Quare tametsi hæc ipsa vt pręsentia, futura non sint, quia tamen fœlicitatem largiri minime queunt: eandem habent quodammodo cum futuris naturam: Ex quibus tanquam his quæ non sunt fructus beatitudinis non colligitur.

Nihil sub sole nouum. Nec valet dicere quisquam hoc recens est. iam enim præcessit in seculis quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt: erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo.

QVemadmodũ antea explicauimus mirifice rerum nouitate mortalium animi afficiuntur: quod vel ex hoc nobis debet esse in primis exploratum. Etenim licet nouis quibusdam & insuetis visis aut auditis admiratione efferamur & amore: tamen accedente vsu moraq; temporis interposita, vt esse desinant noua; illico ea cum admirari, tum amare desistimus. Quare iure optimo generalẽ modo profert sententiam ad earum rerum contemptum. Nihil sub sole nouum &c. Nouum idest, quod cum prius non fuerit modo in lucẽ prodit. At cum mundus à decore & pulchritudine nomen sumpserit: quod Græci κόσμον appellauere, quasi rerum omnium varietate comptum & mundum. Tum vero quippiam decore vacuum atque inuenustum dicimus, quod quid-

quidquam desideratur in eo: nec est sua perfectione cumulatum. Contra, perfectus est mundus atque ornatus: quoniam eorum quæ ad eius vim spectant, nihil deficit. Ex quo efficitur nihil vt ei possit accedere, atque adeo nihil etiam noui euenire in eo. Quæ omnia tunc veritati consentanea esse arbitrabimur: si eosdem esse cælos, eosdem motus, & principia, à quibus ea ipsa Dei summi iussu proficiscuntur, consideremus, quod ex verbo illo, sub sole, præclare colligimus. Eo igitur quod eadem sunt principia, quę ante fuerunt, hoc eosdem esse euentus qui efficiuntur ex illis, certo sciendum est. Quæ cum in omnibus ferè rebus sint vera, tum maxime in ijs, quæ ab humana industria comparantur. Quid enim illorum ingenio elaboratum aut pręstans inuentum est, quod non priori seculò antecesserit? Quare philosophus. Existimandum est (inquit) infinite, easdem ad nos deuenisse opiniones, quæ tamen nobis idcirco videntur noua, quoniam temporum iniuria perturbationeque rerum: ob bella, ob tyranides, ob aeris cœlorumque motus, interciderunt: nec ad nostras deuenere manus. Non igitur vel secundis rebus insolenter vtendum, vel turbatis effeminate cedendum. Nam vt fuerunt diuites, sunt & modo: vt fuit retroactis seculis virtuti parata calumnia, eidē modo instruitur: nullo loco tunc honestas est habita, nunc etiam male audit. Itaque cum nihil hac in ætate sit quod nō elapsis etiam temporibus extiterit, præterierunt tamen illa necessario, vt ne minimum quidem superfit: ita eiusmodi fieri non potest, quin intereant. Quo fit vt quemadmodum præterita & iam in nihilum redacta, ne vtiquam amemus; eodem erga ista nos modo affectos esse oporteat, cum eandem perniciem atque interitum (velint nolint) sint habitura, nullaque potest esse litteris aut rebus tam solide commendata memoria, quæ non obliteretur & exolescat. Quod profecto ad mundi contemptum refert nō minimum Denique animaduertere ex ijs debemus, inanem esse delirium senum vsurpatam vocem. Tempora retroacta aurea quidem fuerunt, pacifica, honestisque functionibus plena; hæc autem plumbea, perturbata, scœleribusq; obnoxia,

De cælo.

obnoxia, quod sapientis voce omnium sapientissimus, Deus nihil sub sole nouum testatur.

Ego Ecclesiastes fui Rex Israel in Hierusalem: & proposui animo meo quaerere & inuestigare diligenter de omnibus quae fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum vt occuparentur in ea.

DVo sunt doctrinæ genera, quorum alterum ex institutione, alterum ex inuentione proficiscitur. Et illud quidem per auditum percipitur, hoc autem ore docentis manat. Illud ab erudito aliquo præceptore traditur: hoc rerũ facie pulcherrima & varia inspecta, ex aspectu nascitur. Qua de re vt se sapiens veritati nixam, omnique studio comparatam sententiam, de rerum ratione, habuisse ostenderet. Ait seipsum non quidem alieno iudicio commisisse, neq; vim suæ rationis, de rerum vanitate, à maiorum auctoritate hausisse, at suo marte (vt aiunt) & propria adhibita industria comperisse veritatem, atque adeo experientia & reipsa. Cui sanè fidem adhibere, quam maximè est consentaneum. Quæ omnia tum verissima esse intelligemus, cum huius sententiæ singula verba per se discutiemus. Siquidem ei quęcunque ad veritatem aliquam indagandam accomodata sunt; pręsto fuerunt. Vt quò acriori industria quęsiuerit, eò accuratius veritatẽ assecutum esse credamus. Itaque vt cuiusque rei veritatem assequi liceat: vehemente primum atq; diutina animi applicatione opus est: idque obtinere vix possumus, pręterquam si corporis vitęque in primis suppetant necessaria. Cum enim (vt ait Philosophus) hominum natura serua sit, pluribusque necessitatibus obnoxia: fit vt nisi ijs faciamus satis, speculationi rerum minus commodè operam dare valeamus. Corpus namque (vt è sacris litteris habemus) quod corrumpitur aggrauat animum & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Verumenimuero iste Rex fuit: hoc est: opibus affluens, magna potentia, subiectorumque viribus & famulatu munitus: & populi quidem non vulgaris,

Sap. c. 9.

garis, sed Israel, a Deo delecti, & quam maxime multitudine pleni. Deinde cõtinebat sese in Hierusalem vasta (videlicet), decora, omniumque præstantissima ciuitate, omnique homi nũm genere referta; vt facile posset; omniũ mores, ingenia, studia, viteq; genus cognoscere. Demum hanc ipse sumpsit prouinciam, non temere sed optimo vsus consilio, diu multumque id deliberans; vt quęreret (scilicet) & quam diligen tissimè inuestigaret; non vnam tantum plures ve res, verum omnes; quæ sub hoc cæli complexu coercẽtur: ne si eas quę supra nos sunt, curasset, alienum se sapiens ab illa sententia præbuisset. Quæ supra nos nihil ad nos. At vt mortalium prauos mores nosceret, profligaret mala; bona tueretur nihilque habere momẽti, caduca hæc omnia, ad fœlicitatis fructum afferendum hominibus efficaci demostratione suaderet. En vide quale munus sit regibus obeundum, quanque fœlicia essent regna, si illi luxu delitijsque abiectis, tam præ clarę se traderent functioni.

Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum: ui di cuncta quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus.

SCiendi studium magni ad fœlicitatem assequendam profecto refert: nam quanquam sentire atque viuere sit nobis cæteris cum animantibus comune: munus tamen intelligendi homini tantum est à natura tributum. Iam vero vt cæteris ex rebus nisi modus adsit & temperatio, pernities potius quam vtilitas emanat: idem in sciendi studio euenire putandum est. Etenim nisi suis finibus id coerceatur modusque adsit fit vt quod fœlicitatis erat adminiculum, perturbationum atque molestiarum instrumentum efficiatur. Quocirca non omnium est peruestigare omnia: quin sui vires ingenij, apud se quisque libratas habeat, ad illarumque rationem sciendi studium temperare procuret. Ac profecto præstaret tantummodo seipsum suaque inuestigaı e & nosce re, alienis autem abstinere nisi id vel demãdata muneris functio, vel

ctio, vel sociorum charitas postularet: quidquid autem hos limites excesserit, vt Dei oculta iudicia, quodque aduerso rerum flatu agitantur probi, secundissimo vtuntur improbi: pessima est occupatio mentisq; nostræ dira carnifex, cui nos obnoxios esse Rectoris summi iustitia finit, vt distenti & eius pondere afflicti, tandem resipiscamus: ipsi rerum omnium architecto mundi huius administrationé concedétes. Quod propheta secutus ait. Qui corripit gentes non arguit, & finxit oculos nõ considerat? Quare in eam mentem studia sunt nostra conferenda, quomodo nefarijs sceleribus abstinétes, vitam cum virtute & pietate degamus. Postremo modum loquendi sacrarum litterarum animaduerte, in verbo illo dedit, quod quidem trita ratione significat efficientiam: at diuinis in litteris, quod plerunque prauas ad actiones & vitia, quæ proficisci à Deo minimè possunt, accomodatur, permissionem significat, non efficientiam. Atque hoc nimirum illud est, diui Pauli. Tradidit eos Deus in reprobũ sensum &c. Quæ quidem explicandi ratio, magnopere obseruanda est: ad nostri namq; temporis excidendas hæreses, amplissimo est vsui. Vidi cuncta quæ fiunt &c. Ne inanem operam in tã accurata inquisitione sumpsisse videatur: quale id sit, quod inuenerit, præclare explicat. Nimirũ quæ sub sole fiunt omnia meram esse vanitatem animique angorem. Quoniam sol sua mobilitate celerrima secum etiam omnium rerum quæ sub ipso sunt, vicissitudines efficit: atq; idcirco omnia labuntur & transeunt: tantũmodo animus immortalis est & æternus: vt mirum non sit si horum amore captus, nullam quietem assequatur.

Psal. 93.

Rom. c. 1.

Peruersi difficile corriguntur: & stultorum infinitus est numerus.

PRæclarum sanè institutum & regis amplitudine dignissimum, eorum quæ in hoc vniuerso eueniunt (quod ad mores attinet) causas & prĩcipia quærere. Siquidem eorum vel præcipue munus est, bona tueri: mala vindicare. Verum

quanquam id est cum vtile in primis, tum necessarium: tamen in eo fœlicitatem versari amentissime sentiemus. Adeo enim id studij manifestam continet vanitatem, ab alienemur vt potius à fœlicitate, quam vt minimum accedamus ad eā. Pleraque namque se offerunt, quæ vix aut ne vix quidem emendari possunt, & ad statum debitum reuocari, vt non abs re eiusmodi sententia consequatur. Peruersi difficile corriguntur &c. Cuius vt explicatior fiat sensus, id animo reputare debemus; quod rerum opifex Deus, parensque natura efficacem omnibus indidit vim conseruandi sui, quęque nocitura videntur declinandi. At homo rectus (vt aiunt sacræ litteræ) à conditore effectus maiorem in modū quę sua sunt tuetur, cunque nihil coacte, agere nihil per vim velit, quippe qui liberum sui ipsius obtinuit imperium, in manu consilij sui relictus est: fit vt & iustitiæ honestatisque ducere diuina ope rationē possit, & abiecta illa, arbitratu proprio turpitudini deseruire: quod quidem si cogitato fiat & consulto, nō autem perturbatione aliqua animi aut ignoratione: tum id vt suum quippiam, omni contentione tuebitur; peruersique nomine iure merito comparabit: quoniam rationis normā naturæque leges peruertit & labefactat, delectumq; malum persequitur, & vitia vt proprias functiones, propriaque bona complectitur. Quod quidem deprauato vsu, quo vt altera natura vtitur contingit. Ex quibus efficitur vt si quis eius casum dolens, ad honestę vitæ cursum monitionibus illum ducere studeat. prouinciam durissimam sentiet se cæpisse. Non enim ignoratione (vt diximus) aut repentino aliquo motu vitijs studet, sed vt proprijs actionibus suo arbitratu susceptis. Qua de re cum ei ob liberæ voluntatis præstantiā vim afferre nequeamus nos: Deus autem suauiter disponat omnia: ipse vero peruersus effectus, vitia ac si naturę impetu fierent egre relinquit; difficilis, quin difficillima eius emēdatio redditur. Atque huc spectat id eiusdem sapientis. Impius cum in profundum malorum venerit contemnit. Et Apostolus. Hæreticum hominem post primam & secundam correctionem de vita, subuersus est enim. Contra, in beati viri laudem

[Margin: Eccl.c.15.]

[Margin: Prouerb. cap. 18.]

[Margin: Titum.c.3]

dem cecinit Dauid. in catreda pestilentiæ non sedit. Sequitur & stultorum infinitus est numerus. Is sapiens nuncupatur qui rectum iudicium de rebus habet, vt non secus ac ipsę sunt de illis sentiat. At qui ne sapientis quidem munus perfectum est, nisi ex recto iudicio sibi alijsq; prospiciat. Ex quo efficitur, duo munera esse sapientis: primum rectè de rebus sentire, alterum ex recta sententia, cum aliena administrare, tum sua. Contra: is stultus re vera existimari debet, qui & male de rebus sentit & earum ordinem connexionemq; perturbat; non eis reddens vt ipsarum ratio postulat. At quotus quisque est qui non iudicandis rebus allucinetur quandoque: aut res pro iustitia & ratione disponat? Omnes enim (vt ait Apostolus) quęrunt quæ sua sunt: atque adeo nemo ferè est, quin suo commodo consulens, cæteris se non præstare dijudicet; alienisque sua esse anteponenda non sentiat, idque iure nullo, ordine perturbato: tantum iniecit natura omnibus cupiditatis seruandi sui. Atque hoc nimirum illud est quod vulgo dicitur. Primum stultitię esse gradum existimare se sapientem. Ecquis est qui, vt cæteris in rebus superari se ab alijs putet: cedat tamen acrius prudentiæ lucè quempiam illustrari? Etenim concedet facile nonnullos maiori pulchritudine, accuratiori doctrina, amplioribus opibus esse præditos: at acrius veritatem attingere, maioriue iudicio valere; nullomodo. Præclare igitur sententia terminatur. stultorum infinitum esse numerum: quod hyperbolico more dictum esse omnibus est perspicuum. Itaque omnibus stultitiæ aliquid inest, dum & quę non habent se putāt habere, & maiora esse quæ habent, errore inflati, arbitrātur.

Psal. 1.

Phil. c. 2.

Locutus sum in corde meo. Ecce magnus effectus sum & præcessi sapientia omnes qui fuerunt ante me in Hierusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter & didici, dedique cor meum vt scirem prudentiam atq; doctrinam erroresque & stultitiam. Et agnoui quod in his quoque esse

 labor

labor & afflictio spiritus: eo quod in multa sapientia multa sit indignatio: & qui addit scientiam addit dolorem.

Omni vtitur sapiens industria, vt futiles curas inaniaq; studia quibus misere premimur, abiciamus: seque ipsum cæteris omnibus adhibet ad exemplum, persuadens studium sciendi, variarumque rerum inquisitio, præterquam animi perturbationem, afferre nihil. Exorditur autem amplissimo apparatu: cum apud seipsum in intimo animi sui de ijs habitam ratione͂ asseueret. Quasi vero, singulare quippiam diceret, verbo illo. Ecce, vsus est: in quo egregiam vim repositam esse omnes norunt. Et quidem cum multa homini admirabilia contingant, tum nihil præstantius, nihil admirabilius, quam cum nascatur infans, rerum omniu͂ ignarus, mentis imbecillitate obuolutus, atque omni eruditione (vt nuda tabula) spoliatus: ita se gerit, vt adhibita exercitatione rerum omnium cognitionem comparet; adeoque prudentia exornetur, vt vel abdita quælibet, quæq; ab ipsa natura inuoluta sunt, euoluere ac tenere curet. Quod quidem sibi euenisse apertissimè fatetur. Etenim quotquot ante ipsu͂ in Hierusale͂ (scilicet) Regia sacerdotaliq; ciuitate, fueru͂t: quo loco id temporis veræ doctrinæ studia florebant, sapientia eruditioneque præcelluisse testatur. In quibus illud licet animaduertere, quod seipsum minimè generatim omnibus antepofuit, sed ijs tantum, qui fuerunt in Hierusalem, additque ante me. Quoniam post ipsum vera summi patris sapientia, eo loco fuit Christus Optimus Maximus, qui de seipso verè asseruit. Ecce plusqua͂ Salomon hic. Sequitur & me͂s mea contemplata est &c. quod ea re dicitur, vt subtilius veritatem reperisse sciremus: ex vnius enim rei compræhensa ratione, alteram facilius animo complexus est. Idque suo (vt aiut) Marte & opere: ac præterea addiscendi quoque studium in hoc negotio posuit. Quibus non remisse opera͂ dedit, sed co͂tente; vt cor suum, alijs prætermissis omnibus, hęc tantum curasse videatur. Itaque fide maxima dignus censetur, quoniam nihil eiusmodi veritatis pernoscendæ ignauiter

Mat.c.12.

ter omiſit. Neque tantummodo ſpeculandis rebus dicauit ſtudia ſua,ſed etiam acre iudicium in delectu boni & mali, reiciendi & aſciſcendi conſtituit : quo vno, prudentiæ vis continetur : qua cum cæteros inſtituere ſtuduerit, docendi partes ſuſtinuit egregie. Quo fit vt perfecti viri munere functum Salomonem agnoſcamus. Nam & ſibi quidem prudentiæ virtute proſpexit, & cæteris doctrinæ inſtitutione conſuluit. Verum enim id ſatis minimè ratus; ad mentis elidendos errores,in diſcrimine veri & falſi,in amentia animi dignoſcenda, in appetitione boni ac mali ſcienda accurate verſatus eſt. Profecto tanquã optimus gubernator ac nauta vt viſis ſcopulis cũ ſeipſum tum alios à naufragio vindicaret. Quod quidẽ præcipuũ munus eſt eius,qui concionatorem agere inſtituerit. Quo magis præclaram hanc functionem, laudabileque ſtudium eſſe ne dubitari quidem poſſit. At vero quid in hoc genere ipſe perſui periculũ decernat, audiamus. Agnoui quod in hoc quoque eſſet vanitas &c. Licet enim nullis in rebus æque ac ſeſe oblectet homo,vt in cognitione rerum:quę quidem aut ipſa fœlicitas eſt aut proximè accedit ad eã(eſt enim eius quod in nobis pręſtans eſt, actio; mentis ſcilicet atque animi, quibus id,eſt à natura tributũ,vt ſciendi cupiditate apprime teneantur: erigant quoque ſeſe, hoc maximè uno ad imitationem Dei) tamen diuerſa hominum ingenia, uaria & inſtabilia ſtudia, deſideria, mores, diſquirere, tantum abeſt ut ſit cum trãquillitate coniunctum, ut deplorandis moleſtijs miſerrimiſque animi cruciatibus ſit implicitum. Si quidem hominem rationis participem,diuina imagine inſignitum, fœlicitatis capacem,cũ deprauatis moribus, turpibus fædiſque ſtudijs maculari,pecudumque more uitam traducere uideamus,quî fieri poteſt ut animo non cruciemur? amariſſime non ploremus? Hem hæccine eſt ſcientia,quæ cum augeſcit,affert dolorem,acerbiſſimamque moleſtiam parit. Quare Apoſtolus quis ſcandalizatur & ego non uror. Item Dauid perfecto odio oderam illos,& ſuper inimicos tuos tabeſcebam. Dominus quoque noſter perfidam ciuitatem lachrimis proſecutus eſt dicens.

1. Corint. cap. 11. Pſa. 138. Luce.c.19

cens. Si cognouisset & tu: vsque adeo scelerum fœditas pio rum animos exest planèq; conficit. Itaque cuius non interest, aliorum se moderatorem præbere, emēdationisq; adhibere medicinam: desinat mala quæ fiunt sub sole vanaque hominum studia considerare: sic enim fiet vt animi quiete re creatus, facilius in Dei cognitione proficiat. At cuius id muneris est, non retardetur quin quibus libet oblatis molestijs remedia cōsentanea adhibeat, quorum, magnam partem, vis ex errorum, facinorumq; cognitione proficiscitur. Et quanquam in hac re miserrimam experiatur afflictionem; animo tamen non concidat, neq; obmurmuret: id enim exigit charitatis necessitas, Marthæ solicitudo, Lię lippitudo. Veruntamen mundi huius tantum opus & munus, eiusque cum commodum tum ornamentū cogitatione lustrare, tantum abest vt pessima sit occupatio, vt mirificam tum vtilitatem tum iucunditatem adducat. Iam vero si ad naturæ eorumque ab illa efficiuntur cognitionem contemplationemq; esse referenda hæc verba quispiam dicet: qûo contendendi studium fugiamus, precario iure, concedimus: idq; ea re dictum probamus: vt si fœlicitatem in naturæ, naturaliumque rerum contēplatione locemus (vt philosophorū plerique rati sunt) turpiter aberremus: qnod eam obtinere prętерquā in nuda apertaq; Dei visione, non quidē creatis ex rebus excerpta & cōparata, sed diuini radij lumine exhibita & donata; nemo possit. hinc illud. Hęc est vita eterna vt cognoscāt te Deū &c.

Ioan. c. 17

CAPVT SECVNDVM.

Dixi ego in corde meo vadam & affluam delitijs & fruar bonis: & vidi quod hoc quoque esset vanitas.

Hominvm animus diu carere delectatione non potest: est enim eà naturæ quam maxime consentanea. Hinc illud eiusdem sapientis. Animus gaudens ætatem floridam facit. Qua de re cum nullam tranquillitatem retulisset ex doctrina, humanorumq; studiorum & ingeniorum

Prouerb. cap. 17.

scien-

ſcientia: quę animos potiſſimum oblectare videtur: ad cor poris modo ſe reuocat voluptates: vt quod aſſequi ex bonis animi minus potuit, id in corporeis delitijs conſequatur. More fluentis aquæ: quæ priore obſtructo alueo, alium alia via ſibi comparat. Hanc autem rationem iniuit, ſecum ipſe non palam & publicè: ne intemperantis & diſſoluti animi inureretur nota. Neq; enim omnes in eam cogitationem ad duci poterant: vt id quidem conſilij cæpiſſet ſapiens: non quidem ex effrenata luxurie, ſed vt quid vtile hominibus eſſet experietur. Vadam autem dixit. quoniam plurimum inter animi corporiſque oblectationes intereſt. Eas enim bonarum artium eruditiones afferunt: iſtas voluptatum varietas adducit. Quinimo nunquam ferè fieri poteſt, vt eodem in homine copia ſit vtrarumque: Præclarę enim cogitatiõnes ex delitijs non excitantur. Atque huc ſpectat illud Poetę. Nocturnis palleſcere cartis. Atq; Minerua ex eo (vt aiũt) nuncupatur, quod vim neruoſq; cõminuant. Ac vero corporis oblectationes mirum in modum nos alliciunt, hiſq; capitur natura vehementer. Sapiens tamen harum opulentia copioſè circunfluens, nihil fœlicitatis, nihil quietis, ſe percepiſſe fatetur. Etenim cunctãs cupiditatis laxans habenas, & lautiſſimo cibo, & ſuauiſſimo concentu, & veſtitu ornatiſſimo, & rebus cum à natura, tum ab arte vndique cõquiſitis, ita eſt vſus: vt moleſtia omni ſecluſa, nullaque perturbatione admiſſa, titillãti ſe voluptati tradiderit. Id enim eſt frui: re aliqua oblectari propter ſeipsã, nulla moleſtia admixta. quod Epicuro probatum fuit. At ſapiens depræhendit errorem mellitumq; venenũ ſe guſtauiſſe teſtatur. Agnoui (inquiens) quod eſſet vanitas &c. Siquidem nec animi expectatã quietem afferunt, & labuntur citiſſime: quodq: ſummum eſt miſeriæ atgumentum (vt Gregorius magnus ſentit) & cum nõ habentur moleſtum in nobis deſiderium accendunt, & iam habitæ faſtidioſa ſatietate nos opprimunt. Et quidem quid vanius? quid infelicius quam ſiue habeas ſiue careas vel cupiditatis vel faſtidij moleſtia torqueri? Neque id ſolum ſed cruciant augendi libidine, aſſiduo amittendi mętu: ipſamq;

men-

mentem è sua sede & statu ita dimouet, vt nihil quod ad vir

1.Tim c.5 tutem vigeat, prorsus relinquant. Quare Apostolus. Vidua viuens in delitijs viuens mortua est. In sceleratorum autem sede (quod absit) constituti, tantas pro hijs luemus pœnas, quãtas hic nobis delitias comparauimus. Huc enim spectat

Apocalip. cap. 18. illud Apocalipsis. Quantum exaltauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormenta & luctum.

Risum reputaui errorẽ: & gaudio dixi quid frustra deciperis.

NOn defuerũt viri magna eruditione præstantes, qui sentirent, nihil dolere summam esse fœlicitatem: atque hæc ijs verbis significare videntur. At qui depelli eos longissimè à veritate aperit Salomon: etenim cœlo hoc crasso tanquam exilio circumscripti, innumeris pressuris, calamitatibus vndique obsessi tenemur, quodque acerbissimè animi statum conuellit, est, è cœlo nos vt ex patrijs sedibus esse in has angustias eiectos. Vt enim qui patrium solum verterũt, vt omnia eis ad voluntatem fluant, secundaque fortuna semper vtantur, hoc in tristissima se versari cõditione autumant quod Patria exturbati, exilio premuntur: ita nos etiam dum corporis onusti mole cœlo excludimur. Quocirca qui luxui intemperantiq; risui vacant hoc tempore, cæco errore ducũtur: quoniam sæuissima tempestate iactati, portum se tenere falsò credunt. Igitur cum id sit errare rem aliter quam sit existimare: qui vero mundi huius sedem miseram & calamitosam malorumque colluuie redundantem, Patriam lętitię risuiq; aptam censent: rem profecto non æque ac est, expendunt: atque ob id turpiter errare dicuntur. Hinc Dauid di-

Psal. 119 uini luminis luce illustratus eiulabat. Heu mihi quia incola

2.Cho.c.5 tus meus prolongatus est. Diuinus quoque Apostolus: Ingemiscimus (ait) grauati habitationem, quæ de cœlo est, superindui cupientes. Sequitur. Et gaudio dixi cur frustra deciperis? Metonimia figura est: qua id quod est ipsius effectus causæ tribuitur. Gaudium namque frustra decipitur, cum ij qui gaudent intemperanterque se efferunt, ducuntur in er-

Iob. c.21 rorem. Quoniam (vt ait Iob. lib.) in bonis ducentes dies

suos

suos,in puncto ad inferos descendunt. Cui enim in hac vita gaudio delitijsque est indulgendum? cum misera sit huius breuissimæ & angustæ vitæ portio; visque ingens malorum circumquaque volitet:ac dum bibimus,dum serta,vnguenta,puellas poscimus obrepit(vt Poeta inquit)non intellecta senectus. Verum cum ex hac nostri deceptione nihil boni, nihil fructus, cuiquã paretur; frustra sanè talis est deceptio. Animaduerte ergo quam alienum sit caducis in rebus quęsitum gaudium à vera solidaque fœlicitate; quæque potius eis,qui miseris his temporibus,luctui lachrimisq; se dedunt erit reddenda. Huc enim illud pertinet. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Mach. c.5

Cogitaui in corde meo abstrahere carnem meam à vino ut animum transferrem ad sapientiam,deuitaremq; stultitiam. Donec viderem quid esset vtile filijs hominum,quo facto opus est numero dierum vitæ suæ sub sole.

IAm diximus ea ratione corporis oblectationes atque delitias experiuisse Solomonẽ: vt reperiret quid hominum generi vtilitatem afferret. Quæ sanè commentatio absoluta est & perfecta sapientia; quæque nullum habet commertium cum stultitia: quo etiam humanę omnes cogitationes spectare debent. Cum ergo eiusmodi commentationis pateat vsus latissimè: par fuit eum nulla difficultate aut labore deterreri,quo minus institutum consequeretur suũ.Itaq; primum à vini se iucunditate temperauit,non ignarus quantum speculandis rebus afferret detrimẽti.Omnis enim actio mentis, sanguinis ac spiritus auxilio perficitur: estque vt in locis,sic in poculẽtis & esculẽtis,quod mentem acuat quod obtundat. Vinum in primis crassos turbulentosque spiritus excitat,sanguinem caloremque natiuum adauget & efferat, vt eo plenus constare sibi vix possit. Hinc alibi. Vinum apostatare facit etiam sapientes. Fide igitur dignum de rerum inanitate sapientis iudicium existimari debet; quod non vinolentus sed sanus & siccus protulit,quæque ad veri inuen- Eccl. c.19.

tionem impedimento sunt, omnia substulit. Nos autem cogitemus, quod & si regis pręstantiam functiones multæ decent; nulla tamē aptior quam subiectos populos reuocare à scelere, ducere ad honestatem. Quem cursum Socrates tenens, naturæ contemplatione abiecta, quæ ad bene beateq; viuendum parum conferret: formandis ad virtutem moribus, consumpsit operam. Quanto id magis nobis efficiendū est, qui certo scimus ex hac vita breui, rerumque colluione solutos, tāquam ex hospitio ad illud diuinorum animorum concilium cętumq; nos profecturos? Apte igitur dixit: quo facto opus est numerum dierum vitæ suæ.

Magnificaui opera mea : ædificaui mihi domos & plantaui vineas feci hortos & pomeria, & conseui ea cunctis generis arboribus: & extruxi mihi piscinas aquarum vt irrigarem siluam lignorum germinantium.

COmmunis omnium parens natura, id tantum spectās, vt rerum varietate seruata, mundi pulchritudo permaneat: paucis admodum contenta est. ijsque ita vtitur, vt per se constant, nullo voluptatis adhibito artificio, nullo fuco extrinseci condimenti. Quippe quæ nec minus quidquam habere nec redundans solita est. Porro tanta ædium magnificentia, tanta villularum suauitas, tanta ciborum exquisita condimenta, tanta seruorum turba, tanta denique omnium sensuum voluptaria lenocinia, miseram potius efficiunt naturam, quam beatam: tum quia naturæ limites cum superēt; carēt ratione & modo, beatitudo autem modo constat & ratione, tum quia cū diu permanere minimè possint, quos suo fructu oblectare promittebant, amittendi mætu miserrimè affligunt. Etenim sentiunt inanem sumpsisse se operam & temere tam exquisita oblectamēta iam breui tempore peritura quæsiuisse. Orsus est autem ab ædium extructione magnifica, in qua quidem præclarius brutis cum animantibus agi perspicitur. Domus namque ad cæli grauiores iniurias arcendas humana adinuenit industria, perinde ac ipsius naturę

vis

vis hirundines nidos construere, cæteraque animantia sua la
tibula docet. At marmorea defodiẽdo saxa, eburneos eruen
do dentes. magnificas ædificare domos aureasque superpo-
nere testudines, diuersaque & ordinata ad luxum extruere
cubicula, cęteraque eius generis inania profuso sumptu mul
tis laboribus persequi, erumnosa vita efficitur. Contra, bru-
tis, in rupibus ac dumentis paratæ sunt ex tempore domus.
Accedit etiam quod præclarum in hac teterrima rerum lu-
ce construentes domicilium: non vt peregrini commoran-
di diuersorium habere se profitentur, sed potius habitandi
locum: neque ad cœlos se hinc euolaturos in animum indu
cunt, Hæc igitur omnia his verbis: edificaui mihi domos in-
telliguntur. Sequitur plantaui vineas &c. Voluptatem quæ
ex magnificis artificioséque extructis ædibus à mortalibus
percipitur, negotiorum curarumque occupatio interpellat,
quod malum amœnitas pomeriorũ ac villularũ grato otio
& solitudine detrahit. Quare antiquissimi quique vt solicitu
dinũ molestiarumq; perfugia ac portus, eiusmodi mira arte
compararunt. Quorum quidem venustas aquarũ fontes ex
augebant, ipso enim & aspectu delectat aqua, & plantarum
irrigatione iuuat: ex quibus postea cum corporis exercita-
tio ad valetudinem, tum animi splendor ad sapientiam ema
nabat. Placet namque summopere videre vineas germinan-
tes, malleolos emittere, vuas producere, olera diuersi gene-
ri carpere, variamq; florum fragrantiam eo loco percipere.
Ec quis non mirum in modum delectetur pomerijs ita suis
spatijs aut in orbem, aliamue figuram distributis, vt circum
circa, ornẽtur vel busso in fornicem elaborato, vel cedris ad
parietes contextis, malisue granatis artificiose compactis?
quid porro voluptatis sunt aquarũ & fontium artificia præ-
clarissima? vt vel referant aues occinentes, vel tibiarum or-
ganicarum excitent sonum, vel demum gurgite congrega-
to multos nantes hinc atq; illinc saltitantes aspicere pisces?
Eximia, vt videtur, iucunditas & quæ animum componere
posse existimatur. At verò ijs circunfluentes eo miseriores
fiunt, quo tantis laboribus cõquisitas delitias, post mortem

secum nullas prorsus auferũt; preterquam quod ipsarum re rum varietate fatigantur. Ac plerumque fit vt, aut ægritudi ne aliqua, aut incómodo eis frui minime liceat, quodq; erat ad voluptatem quæsitum, cadat ad perniciem; Annon fuisset satius agriculturæ artem in necessarium tantummodo vsum accomodare, & quæ parens terra liberè protulisset, efficere; vt nostris subleuandis miserijs non libidinibus deseruiret? sequitur. Possedi seruos &c. Homines omnes eadem natu- ræ vi contineri liquido constat, si mentem regendique sui fa cultatem conuenire omnibus cogitemus. Ex quo efficitur, vt alter alteri esse seruus minime debeat. Principio enim quo omnia cõdita sunt, dictum fuit hominibus quasi vniuer sis. Præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs ter- ræ. Dauid etiam eo spectans. omnia (inquit) subiecisti sub pedibus eius; vsque adeo alienum est, vt alter alteri homo dominetur. At quoniam particeps rationis animus, quam- diu cõtinetur in corpore, nisi auxilio corporis obire propria munera non potest: consequitur, vt qui corporis præstan- tiori temperamento sit præditus, præclarius, atque melius animi munera obeat. Huc enim spectat id Philosophi. Mol- les carne apti mente. Et quidem perspicitur, esse quicquam in corpore, quod acuat mentem, quod obtundat. Est autem cum æquitate coniunctum, ijs ob temperandum esse, qui præ cæteris valent ingenio, industria excellunt. Atque hinc fit, domini seruiq; discrimen. ideoque & vulgo dicitur. Homo homini Deus. Ex ijs enim exploratũ nobis debet, esse nõ, par ui ad fœlicitatem referre, famulis, ancillisque potiri. Quo- niam, hoc præstantiorem nos habere naturã, atque ingenio- siores esse certò scimus: quod seruis hominibus vtimur. Est verò fœlicitas præcellens quodam, & præclarum: quo fit vt seruorum, Ancillarumque possessio quam proximè ad fœ- licitatem accedat. Adde quod ad corporeas actiones obeun das, oblectationesque capiendas, in quibus Vulgo fœlicita- tem locamus, seruorum famulatus non minimũ emolumen tum præbent; vt denique alienum à ratione non videatur si sapiens seruorum multitudinẽ ad fœlicitatis fructum se ha- buisse

Genes. c. 1

Psal. 8.

buisse testetur. Sequitur. Armenta quoque &c. Perperam aliqui naturam criminātur, quod cum cæteris animantibus omnibus ita consulerit, vt quicquid tum ad vitæ commoditatem, tum ad ipsorum tutelam pertinet, largè præstiterit. Alijs namq; cornua, nonnullis dentes, aliquibus cursus pernicitatem, aut plumas, vt vitare incommoda, parare commoda possent tradidit: eaq; omnia quibus eorū vita tutior esset ante prouidit Deus. Homini verò quem instruxit mēte, atq; animalium omnium præstantissimum cōstituit, nihil tale impertiuisse videtur; verum inermis, nudus, egens, summisque difficultatibus expositus, exoritur: vt ingentes sint ei ad victum cultumque parādum subeundi labores, truculentum mare sulcandum, solida terra excolenda, animantium cum cicurum, tum ferarum subsidia requirenda, & id genus alia. Verumenimuerò turpiter labuntur isti, siquidem cum mentē homo sit præditus, diuinamque imaginem præ se ferat, vsque adeo excellit cæteris, vt ea omnia in suum commodum, & vsum vendicet. Condocefacit namque Leones, erudit Vrsos, domat equos, in vincula conijcit Pardos, aratra imponit bobus, tondit oues, mungit Capras, mella aufert ab Apibus, & quæ sunt huius loci. Vt cū eiusmodi facultatē homini à Natura tributam videant omnes; nemini dubium esse possit, cæteris omnibus præstare hominem, amplioribusque muneribus, a Natura cumulatum. Quæ opes eò quod a Natura tribuuntur, naturales appellantur; de quibus gloriatur Salomon; suæque fœlicitatis in eis partem collocasse explicauit. Aptè autem subiungitur. Coaceruaui mihi Aurum &c. Vt ijs etiam se potitum opibus testaretur, quæ ab humana industria inuentæ, artificiales vocatæ sunt. Cum enim vt hominum vita facilius, quæ, ad eius vel commoditatem, vel iucunditatem attinent, consequeretur, rerum deberet commutatio institui; esset q; ea satis difficilis, si rebus tantum à natura effectis niteretur: (neq; enim semper esset in promptu, pro frumento, exēpli causa, vinum accipere) idcircò accessit pecuniarum vsus, vt rerum esset quasi præs, atque sponsor; quarum quidem pretio facilior rerum exerceretur commutatio.

Quæ

Quæ omnia se esse assequtum explicauit adiungens, Et substantias regum, & prouintiarum &c. Vt omnis generis diuitijs amplissimis, Regibusque dignis se affluisse monstraret. Quicquid enim aut gemmarum præcellentium, aut signorum, aut vasorum aureorum & Chorintiorum, in prouintijs erat, apud se habuit. Res profectò, in quibus communiter foelicitatem homines constituunt, easque cum virtutibus omnibus, tum nobilitate, & scientijs anteferendas iudicant. Attamen possunt eæ quidem vel parietes decorare, vel splẽdorem, & amplitudinem præseferre; animo autem largiri pacem, nullo pacto.

Feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum.

NVmero, atq; concẽtu ita mirificè animus humanus afficitur, vt haud scio an quidquam sit cum hac voluptate conferendum. Ac Pythagorei (licet falsò) ea re tamen arbitrati sunt, animũ intentionẽ quãdam esse ex corporis totius natura, & figura, varios modos cientẽ; veluti in cantu, & fidibus contingit; quo sedatur animus, mens conquiescit, capit lętitiam cor, spiritus suauiter efferuntur, leniuntur dolores, curæ, atque molestiæ fugantur. Verum frequenter vsu venit, vt mens interius molestijs, & solicitudinibus agitata; acrius illis infestetur. Quandoquidem animi sui turbido statu modorum ac fidium concentus præstare percipit: cogitans præterea, vbi esse oblectationes desierint, inanes sibi curas, & incommoda superesse: quæ quidem quoquo pacto intercipere, non autem prorsus tollere musica instrumenta potuerunt. Vehementer etiam molestia perturbatur, dum sui quidem animi perturbationem exedentesque curas sedare, atque componere minimè valet: cum tamen tam diuersarũ vocum, atque fidium rationes optimè secum ipsis reputat conuenire. Sequitur. Schifos, & vrceos in ministerio ad vina fundenda &c. Plurimum hauserat Salomon voluptatis cum aspectu visendis pomerijs, tum auditu exaudiendis musicis.

ficis; ſed ne quid ſibi ad delitias prætermiſſum videretur: adiecit, & guſtatus nunc oblectationes; quæ magnopere ex prætioſorum vaſorum varietate augetur; quomodo multa elaborata, miroque artificio cælata, vel ex chriſtallo, vel ex metallorum materijs, ære, argento, auro videmus; in quibus vel herbæ inciduntur, vel quippiam aliud effingitur; qûo ſic ampliori ſuauitate liquorum vim & iucunditatem deguſtemus. Ecquid igitur amplius ſupereſt in quo quis capiat voluptatem? Attamen pergit adhuc experiri quippiam, quod ſanè magni ad fœlicitatis rationem refert.

Sapientia quoque perſeuerauit mecum, & omnia quæ deſiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in ijs, quæ parauerat & hanc ratus ſum partem meam ſi vterer labore meo.

OMiſſis his, quę de ſapientia huc eſſent afferēda, id enim accomodatius alio loco exponemus; modo quæ ad præſentis ſententiæ explicationem attinent adducamus. Fit plerunque vt & ſi voluptatibus, omniſque generis delitijs potiamur, tamen nec eas rectè diſponere, nec rationes modoſque ijs capiendis conſeruare valemus; quin potius temere, & perturbatè omnia commiſcemus, ob eamque rem animi potius afflictio ex eis, quam oblectatio manat. At Salomon quo ſe ab ijs, quæ ad fœlicitatem faciunt, præclarè inſtructum, atque paratum declararet; ſapientiam minimè ſibi defuiſſe fatetur. Cuius rei lib. Reg. tertio, illuſtre habemus teſtimonium. Regina Saba videns omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam edificauit, & cibos menſæ, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, non habebat vltra ſpiritum; dixitq; ad Regem: verus eſt ſermo, quē audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſapientia tua. Sapientiam, dicit, rectam in omni officio, ac re gerenda diſpoſitionem, aliarumque rerum ſeruatum ordinem. Sequitur. Et omnia quæ deſiderauerunt oculi &c.

cap. 10.

li &c. Capiendarum voluptatum duo ſunt quaſi fontes, ocu li videlicet, & animus; nam fieri ferè non poteſt, vt quod ani mo experimus, nõ proſequamur oculis. Ac contra; cum aſpe ctum in quippiam conuertimus, animo nos id prius comple xos eſſe, liquidò conſtat. Quocirca vt nullum voluptatis ge nus ab eodem prætermiſſum eſſe ſcias, cordis, & oculi men- tio facta eſt. Animaduerte autem hæc omnia ita eſſe à ſapien te curata, vt non temerè, aut caſu earum deſiderio, & oblecta tione teneretur, ſed cogitato atque conſulto, perindè ac cæ- teris omiſſis omnibus, hoc vnum ageret, id ſpectaret, & (vt ait ipſe) ſua eſſet portio. Quàm verò inaniter, quam fallaci ter in ijs fœlicitatem experierit ait. Cumque me conuertiſ ſem &c. Quemadmodum Nauis multis & acerbiſſimis ia- ctata & agitata ventis atque turbinibus, ſi incolumis emer- gat, optatoque potiatur littore; tum demum in tuto poſita, præclarius ſuæ ruinę periculum cognoſcit. Sic Salomon ani mi requiem, mentiſque fœlicitatem adipiſci deſiderans, va- rijs, diuerſiſque rebus ſua ſtudia contulit, ac tandem ſe col- ligens, ſuaque opera labores prudenti cogitatione diſqui- rens, non fœlicitatem, ſed vanitatem, nõ animi quietem, ſed angorem ijs ſe cõparaſſe animaduertit: & tanquã miſerię cu mulũ adiecit, dicens, Nihil ſub ſole permanere. At certè quę nobiſcum diu permanere non valent, elargiri fœlicitatẽ quĩ poſſunt? Id verò ita fixum, & conſtitutum eſt, vt nec ſapien- tia, nec diuitiæ, aut quid tale huic miſeriæ remedio eſſe poſ- ſint. O miſeram hominum conditionem, qui cum poſſent vno percepto, & ſuos labores leuare, & fœlices eſſe, ijſdem quin minoribus curis, & ſtudijs, quam caduca iſta, & morta- lia conquiruntur: malunt tamen animi ignoratione, iudi- cioque prauo, inania ſenſibuſq; blandientia perſequi, quam optimo, & æterno fine potiori. Cum tamen terrena hæc, & caduca perſequẽtes, miſerrimè hac tetra rerum luce animis diſcrucientur, ſeculo autem futuro à cæleſtium animorum cætu iucundiſſimo eijcientur. Itaq; egregiè Propheta. Me (in- quit) dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ci- ſternas diſſipatas, quæ continere aquas non valent. Siqui-

Hier c. 2.

dem

dem futilia hæc bona ita abiectiſſimi ſunt loci, vt hominis animum explere prorſus nequeant.

Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erroreſque & ſtultitiam. Quid eſt (inquam) homo vt poßit ſequi Deum Regem factorem ſuum? Et vidi quod tantum præcederet ſapientia ſtultitiã, quantum differt lux à tenebris.

ANimi noſtri curandi, ac in ſuo officio continendi ea eſt via & ratio conſentanea, qua paululum à carnis illecebris, voluptatiſque lenocinijs mens abducta, quantum inanitatis, atque erroris deliteat in eis, accuratius perpendat, atq; excutiat. Quamdiù namque eorum incitamentis ab eiuſmodi cogitatione depelletur; nullam conſectabitur eminẽtem virtutis effigiem, ſed adumbratam oblectationis imaginem, conditaque voluptate vitia perditè perſequetur. At id prouidens Deus opt: efficit vt rerum lubricarum atque mortalium, non tam fructu, & ſuauitate leniamur, quam nauſea, & faſtidio torqueamur, vt eorum inopiam periculo experti, illis reiectis, animum ad ſapientiæ ſtudium, errorisque vitandi normam traducamus. Quocirca huc pertinet id Oſeæ. Et dicet ſequar amatores meos, qui dabant mihi lanam & linũ &c. & ſequetur (ait) amatores ſuos, & non apprehendet: tunc dicet reuertar ad Virum meum priorẽ, quia melius erat mihi tunc, magis quam nunc. Quod profectò frequenter nobiles animos ſequitur, affertque cogitationes eximias. Etenim ſapiens eiuſmodi rationem iniens, ait. Tranſiui &c. quo factum eſt vt eo tranſitu rem præclariſſimam, & longè expetendam animo ſit conſecutus: Deum (53.) gradibus infinitis res cæteras anteire: neque quidquam lóci hominibus ad diuinam vim exequandam eſſe relictum. Semper enim ea libidine mortales incitantur, vt diuinam aſſequi perfectionẽ ſumma contentione curent. Hinc ædium magnifica ſtructura, aureis & argenteis cælaturis ornata, vt exemplar ſplendidiſſimi Cœli; hinc ſeruorum, & ancillarum miniſteria varia, obſequium emulantia angelorum; hinc pomeriorum cultu

cap. 2.

ra iucundissima ad Paradisi decorẽ elaborata. Verumenimuerò quid est homo quod possit sequi Deum factorem suũ? Nimirum satis est dispar, creaturę Deique opus, & quod nulla potest accomodata ratione describi. Cognouit autẽ quadam ex parte id rerum studiosissimus sapiens, quod ea ratione nostri conatus, studia atque opera, à diuinis censet abscedere, qua tenebræ se mouentur à luce. Efficacissima est ista, splendidissima, pulcherrima; tetræ sunt illæ, fœdissimæ, ferè nihil. Quocirca nostra in ijs sapientia, stultitia est, & crassæ tenebræ: summi verò opificis opus, confessio, & magnificentia, lux micantissima, sapientiæ ratio lucidissima. Aberrant ergo quicunque suis in studijs (quin & dementissimos appellabo) fœlicitatem cõstitutam sibi persuadent, cum eam suo iure Deus dumtaxat habeat: nostris autem operibus, atque studijs, non nisi diuina ope, & gratia effectis sit rependenda. Huc spectat illud Apos. Gratia Dei vita æterna. Hoc itaque assecutus est Salomon, cum sese ad contemplandam sapientiam hoc est, diuina opera: erroresque, & stultitiam, idest inania, & misera, hominũ studia, contulerit. Quibus aptè conuenit id quod dicitur. Quid est homo vt possit sequi Deũ &c. Quod aliquibus cum ad libri scopum minus spectauerint, absonum ab antecedentibus videbatur.

Psal. 110.

Rom. c. 6.

Oculi sapientis in capite eius, stultus in tenebris ambulat.

SVnt quidem totius corporis oculi pars pręciosissima: qui tanquam speculatores altissimũ locum obtinent, ex quo plurima conspiciẽtes fungantur suo munere, & eminus quęcunque nocitura sunt, aut profutura, prospiciant. Id autem beneficij commodè præstare non possent: nisi in capite, veluti ædita, altaque parte collocarentur, vt Philosophorum omnium est sentẽtia. Iam vero eius muneris largitate, parens natura nihil discreuit inter peritum, & imperitum; vt crassa literę explicatione dimissa, ad tropi rationem sit interpretatio accomodanda: neque enim stultus in tibijs, dorsoue habere oculos narratur, sed in tenebris ambulare: quoniã nullo cõsilio, nullo suo ordine, & natura, suas actiones molitur,

sed

fed temerè,& inconfultè fe gerit. Hinc Saluator, qui ambu-lat in tenebris offendit. Ioannes quoque. Qui odit fratrem in tenebris eft, & nefcit quo vadat. Diuus quoque Apoft. eodem vfus tropo. Nolite communicare (ait) operibus in-fructuofis tenebrarum: hoc eft,vt praua fentiatis, & flagitio fa agatis. At is quidem fapientis munere perfectò fungitur, qui nihil non prouifum,nihil nifi fummo confilio,atq; pru-dentia aggreditur,atque perficit. Etenim peritè tenet, quid fit in vfum hominibus elargitum,quid loco præmij maneat conftitutum. Neque quod fumma eft (diuo Aug. tefte) per-uerfitas,fruēdis vtitur,vtendis fruitur;quin vt Saluator ait. In die ambulans non offendit,hoc eft,non decipitur,non la-bitur,non rerum blanditijs feducitur,atque id eft,oculos in capite geftare. Contra de imperitis fequitur.

Ioan.c.11.
1.Ioan.c.2
Ephef.c.5.
Ioan.c.11

Et didici quod vnus effet vtriufque interitus. Et dixi in corde meo fi vnus ftulti, & meus occafus erit quid mihi prodeft,quod maiorē fapientiæ dedi operam? locutufque cum mente mea animaduerti, quod hoc quoque effet vanitas. non enim erit memoria fapientis fimiliter vt ftulti in perpetuum,& futura tempora pariter obliuione operient. Moritur doctus,fimiliter & indoctus, et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala effe vniuerfa fub fole, & cuncta vanitatem, & afflictionem fpiritus.

FOelicitas,quo omnia humana reuoluuntur, non eorum merito, quæ ratis naturæ legibus fiunt, fed virtutis, & honeftatis adeptione metienda eft. Etenim fas non eft, omnium bonorum optatiffimum naturæ curfu immutabili, magis quam ftudiorū probitate iudicari. Et quidem licet cunctis hominibus fit contrariorum temperamento moriendū, vt id oneris non magis ftultis, quam fapiētibus impendeat, tamen animorum noftrorum è corpore excedentium duos arbitrandum eft effe curfus;nam qui fe libidinibus, omniq;

turpitudine cõtaminant,ac in Rempublicam,& socios,fraudes inexplicabiles concipiunt, deuium quodam habẽt iter, seclusum à Cœlitum,Deique cõcilio,in quo vis expleta cõsistit omnium vitæ commodorum. Qui autem in sapientiæ præsidio se integros,castosque seruant, quibusque est cum corporibus minima contagio,ac sese ab ijs semper seuocant,atque in corporibus humanis vitam imitantur diuinam, his ad eum , a quo sunt profecti facile reditus patet . Quæ procul dubio stultis, rerumque ignoratione, & errore obuolutis, minimè sunt explorata,& aperta; ne mirum non sit, si horum tam disparia non spectantes momenta,amentissimè dicunt.Moritur sapiens similiter & stultus &c. Etenim eorum nomine hec ipsa effutita esse,vetus editio nos admonet; quãdo sapiens cuius sunt in fronte oculi,tanto non potest errore abduci,vt ignoret quod,in memoria æterna erit iustus;& eius nomen non marmore cælatum,non metallis insculptũ, non oppidis manebit accõmodatum, vt tandem edaci obliteretur tempore: sed in Cœlis, sed in libro vitæ Agni, æuo sempiterno vigebit . Stulti itaq; terrenarum rerum secundos euentus , & huius tantum vitæ interuallum attendentes , nullum habent de cælestibus , futuraque vita delectum, quare superesse nihil post huius vitæ cursum arbitrantur. Fœdissima profectò cogitatio,& ex qua omnium facinorum colluuies perditissimè fluit . Quo circa Sapiens eiusmodi profligatissimæ vitæ tędium merito sumpsit, eorumq; miseratus errores, hinc emigrãdi vbi malorum adest cumulus, & ingens inanitas circumuolitat, desiderio captus est . Huc namq; pertinet post stultissimam stultorum emissam vocem vt sapiens dicat.tæduit me vitę meæ &c. Quid enim luctuosius quam solidam rem aspernari, sectari vmbram? Veritate neglecta inanitati se addicere?

Psal. 111.

Apocalip. cap. 29.

Rursus detestatus sum omnem industriam meam,qua sub sole studiosissimè laboraui,habiturum hæredem post me quem ignoro sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur

in La-

In laboribus meis in quibus sudaui, & solicitus fui, & est quidquam tam vanum,

HAEret planè in hominum animis æternitatis, atque futurorum seculorum quædam incitata cupiditas, idque in maximis ingenijs, atq; altissimis, & exiltit maximè, & apparet facillime. Quo quidem dempto quis tam esset amens, qui semper laboribus, & periculis vellet viuere? Sed cū per sese ipsi semper manere homines minimè possint, id egregiè in filiorum se successione consequi posse existimant, naturęque impulsu præseferunt. Quo fit vt hæredum ac posterorum amore incredibiliter ardeant, omnesque eorum gratia suscepti labores, perlatæ molestiæ, sumpta solicitudo, comparatæ opes, quanquam morte deserantur, ad seipsos tamen pertinere arbitrentur; quoniam ijs in vsum cedunt, in quibus idem ipsi (tametsi mortui) manent quodammodo superstites. At quanta sit huius rei calamitas comprobat Salomon prę clarissima sanè ratione: quod frequentius euenire sui exēplo asserit, vt tanto labore, acerbisque curis partæ opes, homini obueniant stulto, qui spurcissimis lenonibus, fœdissimis meretricibus, flagitiosissimis ludis, & libidinibus, omnia nequissimè dissipet, atque profundet: tantum que abest vt grato animo eius, à quo acceperunt, iucundam recordationem teneant, vt maledictis potius, acerbissimis insectentur. Quid igitur tam inane? Quid tam miserum, quam suis proprijs confici curis, affligi laboribus? Ex quibus nihil ad nos commodi, nihil fructus manat, sed dilecto hæredi sæuū excidium, funestum in vitia pro labendi incitamentum affertur? Itaque nihil tam est à ratione abhorrens, quam multis laboribus partas opes nebuloni, atq; ignauo in perditū vsū reseruare. Quod accidisse Salomoni eleganter sacræ literæ prodiere. Nam amplissimis fortunis instructum Regnum sic filio Roboam dereliquit, vt is dementiæ extrema linea inquinatus, seniorū consilio abiecto, adolescētioribus coęuis & insolentioribus obsequens, decem tribuum imperij iactu ram fecerit. Quam præstat igitur facere sibi amicos de Mamona

3. Reg. 12.

Luc. c. 16.

mona iniquitatis, vt cum defecerimus recipiant nos in æternа tabernacula quando frater non redimet, redimet homo? sed pietatis officia æterno premio nos afficient?

Psal. 48.

Vnde cessauit cor meum, renuntiauitque vltra laborare sub sole, nam cum alius laborat in sapientia, & doctrina, & solicitudine, homini otioso quæsita dimittit, & hoc quoq; vanitas, & magnum malum.

SI quispiam recta ratione comparandarum opum inanitatem expenderit, haud dubium quin id totum curæ dimittet, neque sese solicitudine conficiet ea, ex qua nec quicquam sibi commodi morienti manat, nec ignauissimo hæredi viuo manare dignum est. Etenim homo cum interierit nō sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius; & sæpe fit vt eruditissimo imperitissimus quisque succedat hæres, quique nullam industriæ speciem refert. Magnum sanè malum, quoniam heredibus ignauissimis perniciem potius, opū vbertate afferimus, quam salutem, gladium ad vulnus excipiendum paramus, quàm inopiæ remedium. Quod vtinam ad rem ita auidiores, animo, & cogitatione agitarent: fieret profectò vt honestam potius viuēdi rationem liberis, quam diuitias relinquendas curarent, illosque à desidia, & mollitie, quæ ex fortunis, opibusque fermè semper nascitur, magis quam ab inopia tutos redderent: quo nihil esset paterno amore dignius, neque filiorum saluti conducibilius.

Psal. 48.

Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus, & erūnis pleni sunt, nec per noctē mēte quiescit: & hoc nonne vanitas? Non ne melius est comedere, & bibere, & ostēdere animæ suæ bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est Quis vorabit, & delitijs affluet vt ego.

ANimaduerte quam articulatè, atque magnificè futilia locupletum studia & misera depingit. cum multis ijdē opum

opum parãdarum gratia,calamitatibus,erumnis,atque laboribus obnoxij,nihil tamen emolumenti, nihil fructus percipiant:quin animi pacem omnem,& iucunditatem amittunt, acriterque die noctuque diuexantur. Ecquæ tali cum calamitate conferri potest? Vt eo nostri referatur labores,à quo acerbissimarum curarum iactemur fluctibus, tantumq; abest vt ad quietis portum appellemus, vt potius ab eodem penitus excludamur. Inest enim studio diuitiarum incredibilis discrutians amittendi metus. Siquidem multis quod placet difficile custoditur.Quotus autem quisque est cui opum affluentia non arrideat? Itaque optimum id esset consilium laboribus, quibus hominum natura subiacet, eo referre, vt tuendæ Vitæ esculenta,poculentaque pararentur,& (vt vno dicam) vt suppeteret quæ ad victum, & cultum sunt huic Vitæ necessaria; quod est ostendere animæ suæ bona. Etenim rerum mediocritas non redundantia animi efficit bonum, pacemq; affert.Quod quidem nisi diuinum accedat numen, adipiscendi, locus non erit. Quoniam ipse est qui aperit manum suam,& implet omne animal benedictione. Contra,Eo se auertente,auferetur spiritus eorum,& deficient, & in puluerem suum reuertentur. Cuius sanè largitate ita se firmum ab opibus, & commodis Salomõ sentit,vt meritò superuacaneis abiectis curis,vniuersos, oblectationum vsu se superaturum fatetur. Quis, inquiens, diuitijs affluet vt ego? Itaque fœlicitas opibus metienda non est; nam hoc miseriores, magisque egentes ditiores esse certum est;quod non intelligũt animi morbo oppressi,quam pretiosa,quam necessaria re,careant,animi nimirum tranquillitate, & modestia.

Psal. 144.
Psal. 103.

Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam,et scientiam,& lætitiam. Peccatori autem dedit afflictionem,& curam superfluam,vt addat & congreget,et tradat ei,qui placuit Deo,sed hoc vanitas est, & cassa solicitudo mẽtis.

PRofecto non errauerunt ij,qui secũdę fortunę vim temperare grauioris dixerũt esse operis, quam eiusdem aduersæ

uersæ ictus sustinere. Nam in officio mediocritatis temperantiæque se cohibere, diuinæ opis præsidio contingit; neq; id cuiquam ita in promptu est, sed viro honestis moribus ornato ab omnique abhorrente inanitatis studio, cuiaque futili, diuina largitas tribuit. Cui etiam Diuinarum rerum notitiam, humanarumque suo ordine administrandarum rationẽ impertitur: vt & veræ fœlicitatis finem Deum agnoscat, & caduca ista ad eum denique referenda prudenter sentiat, quo confecto totius animi vis sedatur, incomparabilique lætitia perfunditur. Huc enim spectat id. Mens iusti quasi iuge conuiuium. Siquidem pars vnaquæque, superior, quæ æternis rebus contuendis est apta: inferior quæ humanis gerendis accommodatur: egregiè funguntur suo munere; Atque hoc demũ est, sapiẽtiam, & scientiã, & lętitiam bono homini à Deo elargiri. Vir autem fœdissimus, quique sus desq; commiscet omnia: necessitatis ordinem excedens, nec diuina curat, nec humana pro merito moderatur, sed vnde colligere vsum debuerat, sumit angorem, quæque in suum commodum decebat vertere, congregat ad pernitiẽ: expers est enim tanti muneris. Neque tamen quod vult efficiet. Siquidem plerunque, atque adeo sæpe accidit, vt non constitutis hęredibus obueniant tanta ægritudine partæ opes, sed cui numẽ diuinum definierit. Eius enim vox est. Mecum sunt diuitiæ, & gloria, & opes superbæ, & iustitia. O deplorandam calamitatem: confici non ferendis mæroris sordibus, nulloque vitę huius aut alterius emolumento frui. Vt autem sit capitis huius (suis vt aiunt lineis) expleta interpretatio. Vocabulum dedit: permissionem, & gratiæ destitutionem significare assero, non impulsum atque efficientiam, cuius, quoad vitia, autor esse Deus non potest.

Prouerb. cap. 15.

Prouerb. cap. 9.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub sole,

HVcusque in multis de fœlicitate falsis senten tijs refutādis egregiè versatus fuit Salomon: ea nō imbecilla vsus ratione; quod animum exagitant,& sua inanitate diuexant. At modo eorum quæ sub cœlo sunt, lubrico statu labilique rerum omnium commutatione, id amplissimè manifestat. Nam re vera nihil adeo verę fœlicitati obest,ac varietas,eodēq; loco status non cōsistens. Quis enim fœlicem eum dixerit, qui varijs rerum flatibus huc,illuc trahitur,neque quo tandem adhæreścat, ac maneat assequi potest? quando in lubrico bono se constitutū animaduertēs;ne malorum vices succedāt,anxia cogitatione cauet; atq; ita fit,vt ꝑturbationū miserijs vacādi nulla sit ratio. Vnde quidā cum in optima corporis constitutione locasset fœlicitatem; adiunxit Metrodorus: id tum esse, cum is exploratum haberet semper sic fore. Itaq; si omnia hæc mortalia cœlorū cōplexu ea legē coercētur,vt sicut illi nulla constantia,& firmitate,semper concitata motione torqueātur, suisque voluantur statis interuallis: pari ratione terrena hæc suæ durationis pręscriptos limites obtinent,vt modo quidē nascantur, modo occidant, labantur etiam ocissime, atque fluant: non nisi amentissimè fructum ex ijs fœlicitatis nos percepturos sperabimus.

Tempus nascendi, & tempus moriendi.

EOrum nonnulla, quæ sub sensum cadunt, percurrit, vt mundanarum rerum lapsum, & incōstantiam colligat, apertissima ratione. Ac primum quidem (bone Deus) quam videtur expetēdum, votisq; omnibus exoptandum ad hanc fruendam egredi lucem, totiusque mundi præclarissimum ornamētum,& conspicere,& in suum vsum vendicare? Quo circa & sacræ literæ, mulier cūm pepererit puerum non meminit.

Ioan. c. 16

minit pressuræ propter gaudiũ, quia natus est homo in mun dum;ob eamque rem, omnibus fermè gentibus mos vsurpa tus fuit; vt natalitios dies mira animi iucunditate prosequã tur; capiat voluptatem mater, oblectationem hauriat pater, ceterique homines,suscepto compari,letitia afficiantur.Sed certè nihil quicquam sic vanius; Nam ortus dies, mortis,ne cessaria lege præscriptum limitem accersit, licet is qui hac vescitur aura,pisces incolumitate,aues celeritate,leones viribus, ceruos pernicitate antecellat. Siquidem tempus mensura cum sit,ad finem veluti calcem definit necessariò.

Tempus plantandi, & tempus euellendi.

Agricolarum voluptas incredibiliter animos delectat humanos;cum arborum fructu,nihil vel visu letius,vel aspectu pulchrius esse possit: mira ex eius opera corporis va letudo paratur,placidissima animi quies obtinetur,& totius ferè naturæ ordo mirificus dinoscitur. Terra namque omnium rerum postrema,tetra,abiectaque prorsus fortune,nostrum non recusat imperium,neque vnquam sine vsura reddit quod accepit, sed alias minore, plerunque maiore cum fœnore. Tanta etiam vi,ac natura generosa ornatur, vt gremio mollito, & subacto sparsum semẽ excipiat,deindè tepe factum vapore,& complexu suo,diffundit,& elicit herbescẽ tem ex ea viriditatem,quæ nixa fibris stirpium, sensim adolescit, culmoq; erecta geniculato,vel plano,vaginis,aut cor tice iam quasi pubescens includitur,ex quibus cum emerserit: fudit frugem, vel extendit ramos ; foliorum aristarum ue vallo:iucũdissimos fructus producens, tum ad vsum,tum ad animi oblectationẽ. At vide quid in hoc genere sit præclarum? quando magnis sumptibus, ac laboribus satæ fruges,consitęque arbores,aut humore siccessente,aut vi ventorum, aut cæterarum aeris iniuriarum impetu, vel hominum ac ferarum in cursu, tandem euellentur; & amplissimæ gratiæ suauitas, in arentissimum truncum, aut glumas viles ad ignis vsum commutabitur, aut tandem exarsę tineis corrumpentur. &c.

Tempus

Tempus occidendi, & tempus sanandi.

VArijs, mirandumque in modum iniquis modis, viuentium salus profligatur. Nam & si euenire posset, vt natiui humoris a primæuo calore consumptio, externorum poculentorũ esculentorumq; resarciretur beneficio, nihilominus adsunt ignes comburẽtes, laquei præfocantes, gladij capita obtruncãtes, cæteriq; funesti euentus, quibus, rerũ vicissitudine exposcẽte, hominũ vita extinguatur. Neque tamen æquitatẽ animi est, cur quisquã tantis molestijs deponat; nimirum cum fiet etiam, vt neque inflicta vulnera, neque medicorum errores, neque humorum iniqua conflictatio conualescendi tempus queat excludere. Etenim ita terreno & fragili corpore fictus est homo, vt nec ab eo cõditio mortis aliena sit, nec immortalitas naturæ viribus eidẽ possit comparari. Itaque qui hæc secum reputauerit, non ineptam se nactum animaduertet tranquillitatis rationem.

Tempus destruendi, & tempus ædificandi.

EXtruendarum ędium, cæterorumq; ędificiũ præclarissima existimatur ratio, siue ad præstantiã, siue ad iucunditatẽ pariendam. Quis enim pręclaras extructas domos, augustissima erecta tẽpla, magnifica ędificata Theatra, profusissimis impensis, maximo luxu, durissimis laboribus, non admiratur, & quasi fœlicitatem ducit? At tempus ædax adeoq; inuidiosa vetustas omnia consumunt; licet barbaræ nationes, inimicorum arietes, & tormẽta, eiusmodi non euertant, & perditissimè diruant. Agita (quęso) animo incredibilem Romanorum ędificiorum amplitudinem, venustatẽ, magnificentiam, cæterarumque illustrium Vrbium; & tamen oculis modo perspicies eorum ita esse fortunam abiectã, quam quorum abiectissima. Vix enim ex eis aut diruti parietes, aut semifracta fundamẽta, aut diuulsæ columnę supersunt; quęque quondam celsissimè exurrexerant, modo indignissimè solo æquata, ne proprij quidem loci quo erant sita, vestigiũ perspicientibus offerunt. Heu miserrimos & labores, & sum

ptus, quibus certe prestabilius fuerat domum ædificare non manufactam æternam in Cœlis. Iam verò ex eiusmodi ædificiorũ excidio, meliorum rerum abijcere spem nõ debet quisquam; cum ruinæ confecto termino, iterum eas reparandi occasio, tempusque erit. Itaque nec præclaris extruendis ædibus tranquillitatis portum ędificari posse credamus, nec earum demolitione, naufragium vniuersum timeamus.

2.Cho.c.5

Tempus flendi, & tempus ridendi.

CVm nonnullos videas omni fortunæ æquitate florentes, iucundissimaque letitia completos, admoneat te tempus, eiusmodi sua conuersione mutari. Neq; quicquam posse obstare quin aliquis nullũ à fortuna vulnus accipiat, nullo calamitatis fluctu agitetur. Contra iaceat quis indignissimis sordibus, & mœrore, vt sint ei factæ lachrimæ panes die, ac nocte; tantum calamitatis pondus, profectò leuabitur, atque adeo auferetur aliquando. Non enim Deus, vt santissimus Tobias aiebat, delectatur in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillus erit, & post tetras miseriarum tenebras, emicatissimam iucunditatis lucem expectare ne grauemur. Certa itaque is nitatur spe, qui molestijs curisque exagitatur, fore vt rerum, temporumque stata vicissitudine, florentissimum traducatur ad statum. Nam vt extrema gaudij luctus occupat, ita calamitatis terminus voluptatem orditur.

Psal. 41.

cap. 3.

Tempus saltandi, & tempus plangendi.

HOc superiori rationi cum congruat, ferè nulla eget explicatione: nisi quod eiusmodi saltationis genus, multarum delitiarum, intempestiuique conuiuij comes est: nec ijs, qui honestati nauãt operam, vllo pacto conuenit. Quare Romanus orator, nemo ferè saltat sobrius. Quid dicendum christiano? Quod si quisquã plangẽdi tempus declarari sibi flagitaret, vitæ huius cursum, omnium sapientũ sentẽtia censet esse. Siquidẽ imbecillitatẽ, egestatẽ, partum, mortem, inimicitias, impios, ac facinorosos homines, maris, terræq; bel

luas

lũas, corporis dolores, omnia hęc mortalis vita fert: vt nulla sit prosperitas, quæ nõ dolore aliquo diluta, & vitiata sit; multæque calamitates, nulla omnino delectatione mitigatæ. Quis ergo deest, aut qualis plorandi locus?

Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.

SVnt pleraque ædificia, quæ ex lapidum tantum congestione constant: quorum quidem vsum antiquitas in primis habuit, vt se à Cœli molestijs, ventorumq; percussione tutos redderent. Nam temporis progressione ad elegantiora in omnibus penè rebus defluximus. At tum certè erat, vt ad talia opificia tempus lapides colligendi, ita eiusmodi dissipandi, & spargendi. Vt inanitatis non careat nota, in eorũ coaceruatione susceptus labor.

Tempus amplexandi, & tempus longè ab amplexibus.

COrporum amplexus eò naturæ impetu fieri solent, vt animo nos prius eos charissimè esse cõplexos, quibus cum vtimur, ostendamus. Etenim efficacissimè natura nobis ingenuit, vt virorum vxorumq; coniugia, filiorum amorem, beneuolentiam amicorum, omni contentione coleremus. Quo fit, vt eiusmodi complexus vsurpemus tanta animi voluptate, tantaque lætitia, vt ijs frui non longè à fœlicitate arbitremur. Quid enim animi ad iucũditatẽ efficacius, quam dulces natos, suauissimam coniugem, charos amicos, non modo præ oculis habere, sed intra etiam brachia cõtinere? Verum fortunæ temeritati adeo omnia sunt subiecta, vt vel morte ipsa, vel violata amicorũ fide, vel filiorum charitate restincta, vel denique aliorum munerum interpellatione ab eiusmodi voluptate lõgè depellamur. Quę enim fuit vnquã tanta ex vxoris societate voluptas, quam aut immodicus zelus, aut familię solicitudines, aut nouus iniectus amor non sustulerit? Quæ etiam tanta filiorum amoris est suauitas, quam adolescentiæ pericula, tenellęque ætatis lubricitas non interturbet, & exagitet? Qualis etiam amicæ necessitudinis nexus ita firmus, vt proprij commodi ratione

non

non rumpatur? Quare summopere curandum est,vt rerum varietate admoniti in solo conquiescamus Deo.

Tempus acquirendi, & tempus perdendi.

INest mentibus nostris insatiabilis penè quędam comparandarum opum cupiditas: cuius quidē incitamento summis difficultatibus,acerbissimis molestijs,miserrimis periculis,transnātur Maria,remotissimas appellitur ad oras,ferarū gentium regiones coluntur. Impiger (ait Poeta) extremos currit mercator ad Indos, per mare, per saxa,per ignes pauperiem fugiens &c. Sed licet animaduertere miserrimæ inanitatis studium,quod tempus profectò aderit iacturæ faciēdæ:aut perfracta naui, aut eiectis mercibus iniuria procellarum,aut depredatione latronum, aut rerum prætio commutato,aut creditorum decoctis bonis. Ac præterea quid (quęso) prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Mat.c.16.

Tempus custodiendi, & tempus perdendi.

ESto itaque partę acri cura opes non perdantur, sed diligentia adhibita seruentur integræ; quousque tamen id erit? Non diu planè. Quod eas perdite profundendi certa lege spatium dabitur: aut necessitate impellente,aut filiorum post obitum nostrum luxu, & turpitudine,pessum ibūt. Malè enim parta,malè dilabūtur. Cui itaque amplas tribuit fortuna opes, ab ijs ita firmus esse non potest, quin fortunæ eiusdem viribus, & mobilitate, prostratus aliquando non iaceat.Cum fortunam dico,varium,inconstanteq; rerum euētum volo intelligi. Qui tamen summa Dei prouidentia iuste disponitur.

Tempus tacendi, & tempus loquendi.

SI, vt initio diximus, ad libri scopum omnia sunt referenda,eiusmodi sententia ad loquendi,tacēdiue oportunitatem seruandā congruenter accomodari non potest. Nam vt magnum sit sapientiæ argumentum,orationis habendæ,cohiben-

hibendæue non commiſcere vices, vt illud eſt ſapientis. Sapiens tacebit vſq; ad tempus, ſtultus verò non ſeruabit tempus, id certè ad operis inſtitutū minus facere videtur, quod omnis, de contemptu mūdi, ratio ſuſcepta ſit. Quid ſi ad ſcopum conlineemus dicentes? vt multis in rebus, rationis particeps homo, à cæteris animātibus differat, orationis tamen facultate, vel in primis; quæ quidem ſi lepore, ſuoque decore efferatur (bone Deus) quam eximiam adiūctam habet excellentiam? Ac vero quid, præſtabilius, quodque propius ad fælicitatem accedere exiſtimetur, ac omni ſale, ornamentiſque ſapientiæ conditus ſermo? quo alacres reddūtur animi, excitantur ignaui, inſolentiores cohibentur, iſque placat animos, & pectora mulcet? Verum & ſuos res iſta præclariſſima (vt aiunt) patitur manes, Quando non omnibus horis ſapimus: ætatiſque concitatiſſimo curſu ad ſenectutem delati, aut etiam ægritudine aliqua impediti: obtunditur, atque raueſcit vox, ſpiritus hebetantur, tremebundaq; labia hiantem inſuauemque orationem conficiunt; vt tempus eſſe tacendi nemo non ſentiat. Adde etiam quod ad libri argumē tum mirum in modum quadrat. Etenim ſi adeo quiſpiam valeat eloquētia, vt poſſit facilè, & ſua ad vota deflectere quoſdam, & in inuidiam aliorum nonnullos obtrectando adducere; quod certè non in poſtremis haberi ſolet. Veruntamen ſi ſapimus, totum id lubricum, & futile iudicabimus, quoniā fiet profectò, vt maleuolētia detecta, vt multis modis, ita tēporis beneficio, tum is tacere cogatur, alijq; in eius intemperantem dicacitatem verba contumelioſiſſimè exacuant. Vituperādum ergo parcius, parcè etiam (vt vetus adagium monet) laudandum. Hinc ſacra oracula docent. Abſtinete vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ. Contra Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te ſeducunt &c.

Prouerb. cap. 11.

Sapiē. c. 1.

Eſaia. c. 3.

Tempus dilectionis, & tempus odij.

EXtant Biantis verba quadam ex parte huic ſentētiç conſentanea, Ama tanquam oſurus, odi tāquam amaturus.

Ex

Ex quibus colligere certè licet, neq; amicitias eo esse modo suscipiẽdas,vt nullum amplius dissentioni,& iurgijs, locum superesse credamus: neq; odia adeo grauiter exercẽda,vt pacis,& amoris omnis eximatur ratio. Quod quidẽ in eos conuenit,qui temerè,& ãnimorum perturbationibus,adolescentulorum more, nõ autem iudicio, & consilio amare discunt, aut odisse. Ac tunc fit, vt neque futuri impendentisque odij rationem habentes,amoris habenas adducere sciamus;neq; consequẽtis amoris vicem prouidentes,odij acumen retundamus. Sed nimij amoris implacabilisque odij fœditate maculemur,atque ab optata pace dimoueamur. Sic esto certè huius loci explicatio apta. Sed occurrit alia satis (nisi me fallo) probabilior. Is iure optimo ad fœlicitatem accedere propius existimatur,qui gratiosior apud homines præpotentes,quique rerum summam gerunt, cæteris inuenitur;& cui maximè fauent,libenterque sua studia cõferunt viri aut claritate generis, aut diuitiarum opulentia, aut pulchritudine præstãtes. Atqui fieri certè non potest,vt omnia semper optata succedant ei,nullisque interrupta malis, gratia & beneuolentia vtatur. Nam leuissima sæpe de causa, in eorundem inuidiam,offensionemq; adducuntur, quorum maximè florebãt gratia:aut inuidiorum obtrectationibus,aut propria culpa,aut demum quoniam sic varius rerum ordo deposcit, vt nemo sit ex omni parte beatus. O inania igitur in rebus lubricis collocata studia, vanissimique mortalium conatus, quorum animi ex vario rerum euentu vt semper fluctuent necesse est.

Quid habet amplius homo de labore quo laborat sub sole, uidi afflictionẽ,quã dedit Deus filijs hominũ vt distendãtur in ea.

VSque adeo est præsens clausula, qua rerum varietatem accuratissimè amplificat, egregia, & accomodata ad mundi despiciẽtiam afferendam; vt siquis eam integris animis expenderit,haud dubium quin sui ipsius vicem acerbissimè dolebit. Quod ex tam molestissimis solicitudinibus, curis-

curiſque ſuſceptis nihil emoluměti,nihil fructus,nihil quietis ſit aſſecutus. Ac verò quæ quies ei eſſe poteſt, qui arido ſolo, infructuoſoque campo ſummo cum labore ſemina ſe commiſiſſe perſpiciet? Cui etiam incommodo id accedit mali,quod iuſto quidem Dei permiſſu inanium rerũ ſtudia citò ad pernitiem,afflictionemque cadunt, quoniam ab vno illo, ſummoque bono deſciſcentes,vbi ſuis numeris expleta eſt quies,ad varia, mutabiliaq; bona deuoluti innumeris fortunæ telis turbulentiſſimè exponuntur. Vtinam eiuſmodi rationes iugiter in animis noſtris verſarentur, nam tum omni mundi huius dilectione abiecta ad æternam vitam,Dei benignitate,ſummam pacem percepturi,contenderemus.

Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat Homo opus quod operatus eſt Deus ab initio vſque in finem:

AD vniuerſi ſpeciem,& ornamentum multos,ac varios conſtituit rerum gradus opt. Deus. Nam præter cæleſtem admirabilem ordinem incredibilemque conſtãtiam tot fulgentiſſimis aſtrorum luminibus decoratã, ex qua quidem conſeruatio,& ſalus omnium oritur. Quis non miretur ſpatia frugifera,atque immenſa camporum, veſtitus denſiſſimos montium,Pratorum ſuauiſſimos flores,pecudum diuerſiſſimũ genus,iucundiſſima atq; tutiſſima maris fluminumq; ora,atque ſinus,cæteraque innumera, quibus neque ad ſpeciem pulchrius,neque ad vſum aptius quicquam ferè poteſt exiſtere. Quorum quidem Homo Dei nutu,atque munere integram ditionem, facultatemque obtinebat eo tempore, quo ſe,ſuaq; omnia diuinis legibus moderãda exhibuit. Tũ namque cuncta ei ad emolumẽtum, bonumque accidebant, iuſtumque obſequium vel bruta, feraque animantia præſtabant. Nimirum quod neque vnguibus Aquilæ, neque lupi dentibus,neque veneno ſerpentes, neq; eius generis funeſtę res exitium moliebantur ei; præclariſſima 53. Dei pollicitatione,atque præſidio mirificè tectus. Dominamini piſcibus

Gen. c. 1 maris, & volatilibus Cœli, & Beſtijs vniuerſæ terræ. Fælix protectò, & florentiſſima ętas, in qua id quoque eximium habebatur, quod Homo in terra poſitus quidem, nō vt incola, & habitator erat, ſed ac ſpectator rerum ſuperarum atq; cæleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud animalium genus ſpectat. Quo ſic tum inferiora, tum ſuperiora ad animi ſuauiſſimum pabulum inueſtigans, quęrendi, diſputandi, contemplandiq; vt nullus eſſet finis, ita tantarum authorē rerum, atque molitorem ſumma veneratione coleremus, admirandiſque laudibus efferemus. Ecquis ita eſt deſipiens, qui cū eruditiſſimos viros tantis ingenijs, immēſis laboribus aſſiduis vigilijs, ne murium quidem, aut formicarum vim, effecta, proprietates nouiſſe animaduertat; ac Deum nullo negotio eorum non modo cauſas, ſpecieſque in ſeipſo præſtantiſſimè continere, ſed ex nihilo in lucem excitaſſe, in eiuſmodi non prorumpat vocem? Magnus Dominus, & laudibilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis. At certè à Dei poſthac deficientes obſequio, quæ ad commodum erant, ad perniciem ceciderunt, vt inanibus 53. ſtudijs deludamur, idque totum non Deo, à quo cuncta bona prodiere, ſed nobis, qui prauum ad vſum ea deflexımus, tribuatur. Veriſſimè namq; hic dicitur. Cuncta fecit Deus bona in tempore ſuo.

Pſal. 146.

Et cognoui quod non eſſe melius niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Omnis enim qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt.

SI ea integra, incorrúptaque ſeruaremus, quæ nobis parēs natura ſimul ac natis ingenuit, ſatis eſt manifeſtum quod preclariſſimè nobiſcum ſine dubio ageretur. Nam adeo nobis ipſis ſummo ſtudio ſumus nos à natura commendati, vt nullam aliam æquè poſſimus rem curare, atque noſtri ipſorum ſalutem, & manſionem in vita. Verum is nobis innatus amor ſuis certè coercetur limitibus, quod non multum eſt explere naturam, quæ diuitias habet, & facili negotio parabiles, & terminatas. Inanium verò voluptatum, atque cupidita-

ditatum,nec modus vullus,nec finis inueniri poteſt. Neque ſolum ſeſe immoderatè foris iactant,nec tantum in alios cæco impetu incurrunt, ſed intus etiam in animis incluſę inter ſe diſſident atque diſcordant: ex quo vita amariſſima neceſſe eſt fieri,prauiſq; animi doloribus torqueri. Quibus quidẽ frugalitatis beneficio circumciſis, & amputatis,omnique errore,& inanitate detracta,naturæ finibus contenti, ſine ægritudine viuere poſſumus, & ſine metu. Cuius ſanè veritatis vim poſt mortalium rerum varietatem depręhẽſam ſapiens inanibus ſtudijs anteferendam aſſeuerat. Quid ad tranquillitatem aptius,quam inſatiabilibus cupiditatibus reiectis,diuino pręcepto obſequẽtes,in labore,atq; vultus noſtri ſudore edamus panem noſtrũ, quo ad ex hoc exilio reuocati, ad patriam: edamus, & bibamus ſuper menſam eius in Regno ſuo,potemurque torrẽte diuinæ voluptatis? Quod quidem quiſque egerit,ſine diuino afflatu,& munere, id profectò nõ aget. Is enim voluptatis obiecta ſpecie,conſtans,atque integer libidinibus ſe conſtringendum minimè tradit, ſed temperantiæ modo,& ratione ſic vtitur,vt animo pax afferatur, ac quaſi cõcordia quadã placetur,& leniatur. Atq; huc etiã id Poetæ refertur. Auream quiſque diligit mediocritatem, caret inuidẽda ſobrius aula,caret obſoleti ſordibus tecti&c. qui quidẽ ſẽſus mihi magnopere probatur:propterea quod ad ſtultorũ perſonam commodè referri,quod ad extremum ponitur, hoc donum Dei eſt, nulla ratione poteſt.

Geneſ.c.3

Luc.c. 22.

Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perſeuerent in perpetuum,non poſſumus eis quicquam addere,nec auferre:quæ fecit Deus vt timeatur.quod factum eſt ipſum permanet, quæ futura ſunt nõ fuerunt, & Deus inſtaurat quod abijt.

LIcet efficaciter ſatis & copioſè rerum mutabilitatem nihil momenti ad fœlicitatem præſtãdam obtinere,monſtrauerit. Non deeſſent tamẽ aliqui quibus ingenij ſolertia, accurataque arte conſtantiam eis,ac firmitatem afferri poſſe videretur; vt quod eorum natura minus habet, prudentiæ

ſedulitatiſque adminiculo illis accederet. Quod quidem ijs placuiſſe ſentiendum eſt, quorum firmiſſimarum ædium, ac turrium extructio, pecuniarum defoſſi theſauri, oblectationes miris modis paratæ, proprium fuit opus, atque conſiliũ. At certè turpiſſimè ij errauere, cum ea ſit creaturarum tametſi præſtantiſſimarum imbecillitas, vt rerum ratos ordines perturbare, earum immutabilem conſtantiam infirmare haud poſſint. Sed vſque adeo hæreant inter ſe conſpiratæ, & continentes, vt nulla ſit in eis vnquam temeritas, nulla er ratio, nullus caſus. Adeſt terra in medio, ſuo pondere librata, fixa, & ſtabilis, ſequitur eãdem mare, ſic, vt eam littoribus cludens, non ſummergat, ſed ad innumerabilium vitam animantium eminentem, & ſicceſcentem relinquat: ab iſtis quã lõgiſsimè collucẽtiũ aſtrorũ admirabilitate ſe effert omnia cingens, cunctaq; complectens cœlum; atq; eius generis infinita ferè alia firmiſsimis inter ſe cõnexa, & apta ordinibus ad commiſcendum prorſus reluctantibus, & alienis. Ec quis poteſt ne dicam ętheris curſus ratos immutare, cohibere vẽſos, nubes cogere, ſed pertenue arborum folium edere, producere capillum? Quis (inquit) Saluator, poteſt cogitans adijcere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Cum itaque conſtantiſsima ſempiterno tempore quæ à Deo excitantur, ſeruentur, & perſeuerent: ac ne minima quidẽ ex parte nobis ea commiſcendi facultas detur; ſequitur, vt quia ab eodem omnium architecto ſint hæc mortalia, & infima in vſum, nõ quidem in quietis terminum, atque fructum tributa; fieri non poſſe vt qualibet præſtantia ingenij quolibet artis vigore finem ex ijs fœlicitatis capiamus. Cogitemus autem quam optimè, quamq; magnificè tanti muneris, & operis cauſam, rationemq; expoſuerit dicens. Quæ fecit Deus vt timeatur. Nam profectò ad animi afferendam tranquillitatẽ nullo pacto fuerunt hæc ipſa à Deo beneficentiſsimo fabricata, ſed vt eum ſemper integra, incorruptaque, & mente, & voce veneremur. Inuiſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intelliguntur. Huc aptiſsimè pertinet illud. Timete Dominum, & date claritatem illi, qui fecit cœlum, & terram, mare, & fon-

Matt. c. 6.

Rom. c. 1.

tes aquarum. Quorum omnium sanè ea perfectio est, vt sicut ad diuturnitatem constantius nihil effici potuit, ita neq; ad vsum melius, neque ad speciem pulchrius quicquam nos efficere, ac ne animo quidem possumus fingere. Et quidem si ex Dei operibus quicquam cæca mēte corrigere studeamus, aut deterius faciemus, aut id quod fieri non potest desiderabimus. Quod certè de pręcipuis mūdi partibus, deq; vniuscuiusq; rei specie interpretandum est; ijs enim neq; addere quicquam, neque demere quispiam valet. Indiuidua autem gladijs, venenis, dirisque alijs modis abripiuntur è vita. Cui etiam explicationi cōsentit id quod annectitur. Quæ futura sunt iā fuerunt: in suis scilicet paribus, & similibus; Et Deus instaurat quod abijt; quoniam substituendo alia, rerum formas mortalitatis conditio non extinguit; sed egregiè hoc modo rerum salus, & perennitas continetur, & constat. Cui quidem ordini obtemperare nos æquitatis ratio postulat, vt expetendarum rerum delectum, quęque vel ad vsum, vel ad solatium facta sunt non confundamus. Quemadmodum D. Augustinus peruersitatem summam asserebat: fruendis vti, vtendis frui; quæque Deus vt timeatur effecit: nos, vt oblectetur animus, nequiter deprauemus.

Apocalip. cap. 14.

Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem, & dixi in corde meo iustum, & impium iudicabit Dominus, & tempus omni rei tunc erit.

EOrum quæ summus opifex architectatus est, quicquam velle corrigere vel immutare, extremam profectò esse dementiam ex hoc planè, dilucidèque perspicitur. Quod hominum quorum sub tempore & volubilissimo sole vita agitur, non quidem semperno ęuo vt Dei: flagitia, iniquitatem, iudiciorum contaminationem, & corruptelam emendare, atque corrigere fermè nullus locus relictus est: Etenim cum nihil ad tranquillitatem aptius, nihil ad generis humani societatem tuendam necessarius, nihil ad religionem accomodatius, quam iudiciorum recta institutio esse noscatur, tamē

(bone

(bone Deus) quanta plerunq; est apud iudices diuini iuris, atque humani peruersio, quot contumeliæ, quot furta, depeculatusque reperiuntur? Pupillo (inquit Esaias) non iudicant & causæ viduę non ingreditur ad eos, omnes secuntur munera, diligunt retributiones. Neque in vniuersum, cupiditate impellente, amore odioue acerbo incitante, quicquã apud eos officij, pietatis, æquitatis, ac iustitiæ residet. Quorum profectò non ferendam turpitudinem detestans Profeta ait. Vsquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorũ sumitis, iudicate egeno, & pupillo &c.? Verum eiusmodi iniquatissimi homines nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Nec cogitant, quoniam mouebuntur omnia fundamenta terrę, flammarũ ardentissimi globi conuolabunt, Cœlum conuoletur vt liber, sol obscurabitur, luna sanguinis instar maculabitur, decident stellæ, totaque ipsa vniuersitatis fabrica cõcutietur, impiorũ vltionem acerbissimã expetens; quando supremus omniũ iudex ad eiusmodi excutiendas causas se comparabit, atq; tunc omni rei tempus aderit. Quoniam æquè ac infimis vt præstantioribus, iudicibus atque reis, summis magistratibus vt subiectis, Diuini iudicij accuratissima disceptatio feret præmia, cõstituet supplicia. Quod sanè nisi gnarus homo animo suo reputaret. Quo mœrore, quibus lachrymis, quibus angoribus perturbaretur, atque adeo conficeretur? cum tam diras sacrorum depilationes, tam funestas innocentium oppressiones, tam peruersa iudicia apud eos, qui officij colendi, iustitiæ administrãdæ munera sustinent, vigere atque efflorescere videat? Simus ergo ad hæc perferenda animo æquiore eiusmodi verba sæpius mente agitantes: Iustum, & impium iudicabit Deus.

Cap. 1.

Psal. 81.

Psal. 81.

Apoc. c. 6.

Apoc. c. 6.

Apoc. c. 6.

Dixi in corde meo de filijs hominum vt probaret eos Dominus, & ostenderet similes esse bestijs: idcirco vnus est interitus hominum, & iumentorum, & æqua vtriusque conditio, sicut moritur Homo, sic & illa moriũtur similiter spirant omnia, & nihil habet. Homo iumento amplius, cun

cta

cta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum, de terra facta sunt, & in terram pariter reuertentur. Quis nouit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum & si spiritus iumentorum descendat deorsum?

FVturi iudicij mætus multum certè momenti,atque ponderis ad animi cupiditates comprimendas,homineſque à ſceleribus,ac iniquis iudicijs auocandos haberet,noſtrorũ animorum immortalitate conſtituta. At iſthęc ipſa,ſi aut ex animo diuellatur penitus,aut reuocetur in dubium: mirum eſt, quam fiet virtutis ſpecies inuiſa,honeſti vis imbecilla, vitiorum condimentum efficax,adumbratæ gloriæ blandiens gratia, cunctæ rectè viuẽdi rationes aſpernabiles & abiectæ. Nam certè vtquę vacant ratione animantia ad explẽdos ſenſus ſeſe accommodant,quorum quidem lenocinia, & voluptates nulla iuſti habita ratione largius perſecuntur. Non ſecus animorum perpetuitate ſublata, impiorũ vox illa vſurparetur. Comedamus, & bibamus,cras enim moriemur·Atque iterum. Exiguum, & cum tedio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, quoniam ex nihilo facti ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam non fuerimus, venite fruamur bonis quæ ſunt &c. Quorum procul dubio ex perſona eiuſmodi quæ interpretanda ſuſcepimus verba, intelligẽda erunt. Nimirum quod iſti hominum interitum, cunctis etiam belluis communem aduertentes, arbitrantur nihil hinc excedere, nihil extincto corpore remanere, ęquè ac in brutis accidere certum eſt. Sed quantis ij tenebris inuoluantur,quantoue inflentur errore, ſatis ex alia, eiuſdem ſapientis ſententia eſt exploratum. Corpus (inquit) reuertetur in terram ſuam,& ſpiritus reuertetur ad Deum, qui fecit illum. Nam reuera corporis humani concretio ex limo terræ conflata eſt,ipſe autem Opt. Deus nobis inſufflauit ſpiraculum vitæ; quod quidem cæteris de Animantibus prorſus non legitur; vt ex hoc apertiſſimè colligatur: nihil eſſe in animis noſtris, mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atq; fictum eſſe videatur; nihil aut humidum quidẽ, aut

Eſa.c. 22.
Sapiẽ.c.2.
Eccl.c.12.
Geneſ.c.1

aut flabile, aut igneũ. His enim naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis cogitationiſque habeat; quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia. Mitto modo tam admirabilium rerum inuentiones, excogitationes: adeo eximiam totius naturæ perſcrutationem, ita præclaram omnium virtutum ſpeciẽ, ex quibus vis ferè naturæ Diuinæ noſtra in mẽte perſpicitur; vt conſtantiſſimè aſſerere quiſquam poſſit: quod ſpiritus filiorum Adam aſcendit ſurſum, hoc eſt, elabitur, excedit, non extinctus iacet, non emoritur. Cuius profectò veritatis robur, quod pari modo nos atque bruta ducamus ſpiritum, non labefactat, neque infringit: Quando tam præſtãtiſſimę quibus nos diſiungimur ab eis notæ, huius rei accuratam & firmam confutationem efficiunt. Huc ſpectans Apoſtolus. Scimus, ait, quod ſi terreſtris huius habitationis domus diſſoluatur, quod edificationem, ex Deo habemus non manufactam æternam in cælis. Itemque: ſi in hoc mundo tantum ſperantes eſſemus miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus, quinimo cunctis animantibus. Nam hæc ipſa blandiſſimis oblectantur voluptatibus; homo autem cum propter corporis imbecillitatem, & abiectionem, tum propter animi perturbationes, & ægritudines, ijs integrè potiri, nulla malorum interruptione, non poteſt. At qui id diuino eſt actum conſilio, vt cum caducis in rebus nos pecudibus ſimiles habeamur, atq; adeo deteriores: vitam rectam, integram ab omnique prorſus peccati labe puram, agere quam diligentiſſimè curemus, expectantes beatã ſpem, & ingentes illas pietatis ſtudijs propoſitas diuitias; à quibus alieni quidem habebuntur dementiſſimi ij homines, qui nihil inter ſeipſos, & quadrupedẽ intereſſe putantes, extremis malis, & cruciatibus afficiẽdi erunt.

1. Cho. c. 5

1. Chor. cap. 15.

Tit. c. 2.

Et deprehendi, quod nihil eſſet melius, quam lætari hominem in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet vt poſt ſe futura cognoſcat?

ACcomodatius re vera hoc ex ſapientum nomine intelligi decet quam ſtultorũ. Nam iſti potiendarum voluptatum

ptatum non habent finem, neque in vsum tantũmodò suum vendicant, sed in fructum. Quo fit vt semper vel exaugendi eas cupiditate, vel amittendi mætu torqueantur. At sapiens cuncta mortalia præstantissimo æternoque suo animo inferiora ducens, adiumentũ ex eis capit non voluptatem, vsum cumque frugalissimum, qui semper letitiæ coniunctus est, non fœlicitatem, quam à se in alia perceptum iri vita certò nouit. Abhorret quoque eadem expectatione incitatus, ad hæredes collocupletandos opes congerere, tecta magnifica extruere, voluptuaria pomeria conserere. Quis enim ei poterit indicare domesticis ne, an alienis, amicis, an inimicis post eius obitum obuenient? Pars itaque propria, ac nostra est edere, vt vitam traducamus, cæteraque hæc infima in subsidiũ nostræ, ac huius necessitatis sumere superuacanas abijcere curas, inanes euitare molestias, donec veniat quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, æternum, cõstantissimum, & suis numeris expletum bonum. 1. Chor.

CAPVT QVARTVM.

Verti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lachrymas innocentium, et neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos, & laudaui magis mortuos, quam viuentes, & fæliciorem vtroque iudicaui eum, qui ne dum natus est, nec vidit mala quæ fiunt sub sole.

NATVRAE nos communio valde admonet vt ærumnis laborãtium, ac miserijs iacentium hominum non mediocriter perturbemur. Etenim promiscuè dum hoc in exilio degimus, innumerabiles casus, atque iniuriæ omnes manent, non secus ac ijs quorum eadem in naui rationes perferuntur. Qua de re vt nihil incommodi, nihil molestiæ nos percuteret: innocentium tamen, atq; tenuiorum hominum oppressiones fœdissimæ, indignissimę

calumniæ, dirissimæ cædes, grassationes contumeliosissimæ quibus perdite homines abiectæ fortunæ, nulloque prædi-ti auxilio exagitantur, satis hanc ipsam pijs viris vitam acerbissimam redderent. Atqui eo res, cupiditatis ardore, charitatisque mutuæ extinctione cecidit, vt domini quorum sub imperio ad sui ipsorum salutẽ sunt constituti subiecti non ferendis vectigalibus eorum opes, fortunasque diripiant, vastent prædia, fœminarum decus commaculent, neque quicquam est ita luctuosum, quo infœlices ij non afficiantur. Accedit etiam ad tam miserandam conditionem quod à minoribus iudicibus ad maiores, pro iudicijs nefarijs compescendis, concessa prouocatio, in summã eisdem calamitatem vertitur; dum qui iacentes erigere, oppressos leuare, laborantibus opem ferre velit, ferrè est nemo. O acerba tempora, o perdita vitæ ratio, quam incredibiles ex omni parte haurimus calamitates; quod solitudini, & inopiæ contra vim, & temeritatem nullum inuenitur præsidium? Quam igitur sanè prẽstat ex tot malorum colluuie, & tantis procellis acerbissimis ad mortem veluti portum, & perfugium dimigrare? Heu me aiebat Religiosissimus Mathathias cur natus sum videre mala gentis nostræ, & sanctorum? Etenim quæ pietatis ẽst reliqua veneratio? Quæ pupillorum cura? Qui senum honor? quẽ itinerum securitas? Proh dolor omnia sunt latrocinijs, contumelijs, homicidijs, grassationibus fœdata. Itaq; iure sunt mortui viuis prẽferendi, atque non dum in lucem editi mortuis: quoniam hac aura nunquam potiti nihil viderũt mali, nullum à fortuna vulnus sumpserunt. Quanquã ad calamitatis amplificationem id dictum esse nõ est ambiguum; quemadmodum yperbolis ratio semper flagitat.

1.Mach. cap. 2.

Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas, & cura superflua.

QVoniam autem mala aliena non mediocrem pijs hominibus molestiam exhibent, fit vt in præclaris, ad lau

demq; præstantissimis facinoribus, tranquillitatem nonnul lam se assequi posse non desperent. Quis enim hac spe sublata, vellet se laboribus dies, noctesque conficere? At certè, vt sit hęc ipsa cogitatio imbecilla, vt incōsiderata, sapiens egregio modo colligit. Nam & si magnum ad fœlicitatem pon dus egregię actiones, amplissimaq; facinora habere existim entur; tamen adsunt semper obtrectationes inuidorum, peruersorum hominum impurissimæ calumniæ, vt id totum quietis, existimationis, ac laudis quod nascitur ex rectè factis, perturbetur, & obscuretur; neque qui ex inuidorum op probrijs, mæror, squalorque importatur, quoquo pacto est cum celebrati nominis voluptate percepta, conferēdus. Sed quotusquisque est quem nulla attingat inuidia, nulla deprimat obtrectatio? Continens profectò, & assidua rectè gestorum comes est inuidia: nos secus ac vmbra corporis. Quia vero fieri nō potest vt honorificis rebus obeundis excelsus, ac magnus animus se non adiungat, hinc abiecti homunculi, omni virtutis celsitudine, laudeque priuati, eorum, qui in eius rei arcem præclarissimam inuaserunt, honorisque ornamenta retulerunt: semper & dictis offenduntur, & factis vehementer cruciantur. Quocirca & optimus maximus Christus cum mirandis sua ob gesta laudibus efferretur, dicebāt enim. Quis est hic, cui venti obediunt & mare? Nihilominus plurimis, ac tetris ad ignominiam inustus calumnijs fuit; in eiusque pernitiem impellente inuidia, iudei conspirarunt. Itaque nulla res præclarè gesta, nullum amplissimum ad laudem opus tanti est, vt vera, atque extrema sit in eo fœlicitas locanda, quod ea in vno tantum Deo sita sit. Præclaris namque facinoribus, & ad excellens decus laboribus susceptis, tantum abest, vt plenam consequamur quietem (hoc autem dico si diuini numinis absit præsidiū) quin & comparamus, exaugemusque æmulos acerbissimos, nostręque existimationis obscuratores inuidos. Quod quidem mali licet ex improbo hominum ingenio, non autem ex honestis actionibus oriatur; reuocat tamen animum nostrum ad studiorum nostrorum imbecillitatem noscendam. Ex quo efficitur vt om

Matt. c. 8.

Phil. c. 3.

nia nostra in Deo figamus, atque locemus; imitantes Apostolum dicentem. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.

Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas dicens. Melius est pugillus cum requie, quam plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi.

PRudentissimè quidem toto in hoc opere, concionatoris Salomon partes sustinet, atque explet. Etenim natura ferè comparatum est, vt partem alteram, controuersiæ tueri quis asseuerareque non possit, quin alteram confutet, atque deijciat. Ac contra. Qua de re cum in præclaris nostro ingenio partis opibus, fœlicitatem non esse locandam docuerit sapiens: facilè esset in eam quempiam, opinionem adduci, vt ignauia, otioque obtineri posse non ambigeret. Sunt enim nonnulli delicati, nihil vacatione, nihil feriatione iucundius ducentes. Verum enim satis eiusmodi sentētiam abhorrere à vero compertum est, siquidem cunctarum rerum extremū bonum proprijs functionibus continetur. Idq; cum de omni natura verum est, tum maximè de homine: cui præclarissimum mentis munus tributum, honestis actionibus potissimum excolitur. Quod nisi fiat, nihil planè eo deterius, nihil miserius. Atqui quam male eum accipiat Salomon, hæc sententia loquitur; in qua stultum existimādum decernit; quod inuidiæ iniuriam expauescens, perditæ socordiæ constringendum se tradit; quantum vero à fœlicitate alienus sit stultus, quis non perspicit? Animaduerte autem sacrarum literarum accuratam describendis rebus diligentiam. Nam ignauię vim ex manuum complicatione accomodatè designat. Quod ex philosophorum sententia, omnibus ex membris hæ in agendo primas tenent: ac propterea instrumentorum instrumentum appellantur. Quo fit vt si cessent illæ, desidiosęque torpeant, vix ad opus membra cætera sese possint accommodare. Et comedit (inquit) carnes suas, Apta sanè metaphora, vt desidioso homini id etiam sit incommodum

dū, otio ſcilicet quaſi tabe quadam obduci, atque putreſcere; Exercitatio enim egregiam valetudinē tuetur, & ſeruat; prauos depellendo ſuccos, ſanguinem excitando, ſpiritusq; vitales exacuendo; atque adeò animus quoque eiuſmodi beneficio totus ſplendeſcit. Itaque ſtulta eſt eiuſmodi imperitorum vox. Melius eſt pugillus cum requie &c. Vt enim rerum redundanti affluentia animus non ſedatur, ita neq; inertiæ vacatione conquieſcit. Vtque illius gloriam inuidia oppugnat: pari ratione hum[illegible] miſeria, vt ferrum rubigo exedit animū: quem etiam poſt mort[illegible] acerbiſsima ſententia manet. ligate illi manus, & pedes, & proijcite eū in tenebras exteriores &c. Siquidem hoc craſſo Cœlo circumſcriptus homo ſe otio dedere non modo turpe eſt, ſed etiam ſacris oraculis aduerſum, dicitur enim: homo natus ad laborem, & auis ad volatum.

Mat.c.22. Iob.c.5.

Conſideraui, & repperi aliam vanitatem ſub ſole, vnus eſt, et ſecundum non habet non filium, non matrem, & tamen laborare non ceſſant, nec ſatiatur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas eſt & afflictio peſsima.

OPum profectò inexplebilem cupiditatem ijs laudi eſſe non videretur alienum, quibus familiæ tuendæ cura commiſſa, aut hæredum ſucceſsio eſt præparata. Siquidem miſeriæ noſtræ ſubleuandæ cauſa diuitiarum rationem inſtitutam eſſe minimè obſcurum eſt. Veruntamen mediocris quędam conquiſitio nobis id commodi præſtat, non autem illa, vt aliâs diximus latè patens, & cupiditatis ardore ferè immenſa. Sed enim cum rationē, modumq; illis afferre difficillimi ſit operis, fit vt ſi familiari cura vel hęredum ſucceſſione incitati, quidam, ab eo aberrant; non ita acriter ſint cōdemnādi. At ſi ab homine ciuilis cōſortij ignaro, nulla familiæ ſolicitudine implicato, & nulla hæredum ſpe ſubleuato id vitij admittatur (bone Deus) quanta eſt labes? quanta

fœ-

fœditas? quanta inanitas? Nam si inopia premeret, necessitas impelleret, hæredum transmissio inuitaret, nō prorsus esset à laboribus abstinendum, non statim eiusmodi curá abijcienda. Iucundissimum enim est inopiam depellere, à necessitatisque iniurijs esse tectum, domesticorum rationibus deseruire, & ad posteriora secula in hæredibus, vt in seipso instructo opibus, conquiescere. Iam verò durissimis confici laboribus, acerrimis perturbari curis, omni vitę iucūditate priuari, sic vt nec sibi nec suis consulat, miserrimæ quidē & abiectissimæ conditionis est. Quanto esset satius, quibus, affecti à Deo suis bonis, frugaliter vti; neque vitam tam breui termino conclusam agentes, infinitam diuitiarum appetionem persequi; quibus quidem neque oblectatur aspectus, neque pacatur animi tanta vorago? Non ne maiorem ex suauissima florum varietate, fontiumq; claritate oculi voluptatem capiunt, atque prolixius animus quoque curarum vacuitate oblectatur? Etenim solicitudinibus veluti furijs semper agitari (tametsi magnæ comparentur diuitiæ) infelicissimę conditionis argumentum est, ne dum inanitas, & afflictio pessima.

Melius est ergo duo simul esse quam vnum, habent enim emolumētum societatis: si vnus ceciderit ab alio fulcietur. Ve soli quia si ceciderit non habet subleuantem se, & si dormierint duo souebuntur mutuo, vnus quomodo calefiet? & si quispiam præualuerit contra vnum, duo resistent ei. Funiculus triplex difficile rumpitur.

APtum sanè sensum superiorum is acciperet, qui ad solivagam viuendi rationem, eiusmodi dicta referret: ne scilicet conquirendis opibus, si ciuilem vitam teneret, necessariò operā esset daturus: ac ea re molestis curis agitaretur: quod quidem incommodum, hominum societate exclusa, vitari posse quispiam crederet. Ac verò quis ita agrestibus institutis viuit, aut contra studia naturæ tam vehemēter obduruit,

duruit, vt qu-ta ex ſocietatis ratione voluptas, quantus vſus enaſcatur, ignoret? Præclarè nãq; Boetius. Nullius (inquit) boni eſt iucunda ſine participatione, poſſeſsio. Vates quoque clamat. Ecce quam bonum, quàm iucundum habitare fratres in vnum &c. Solitudo enim vitaque ſine amicis inſidiarum, & metus eſt plena, abhorrenſq; ab ipſa omnium parente natura. Cuius quidem vi, conſuetudinum, & amicitia rum ratio eſt animis noſtris iucundiſsimè ingenerata: hinc Peripateticus. Vir qui à ſocietate ciuili ſeiungitur, aut Deus nulliuſque rei indigens, aut bellua eſt, humanam rationem aſpernans. Ac vt multa ſint cum ad vſum, tum ad fructum in amicitia, collocata, quanti illud eſt ſeipſum quaſi perſpicere in amico? Siquidem amicus is quidem eſt, qui tanquam alter ipſe, vt vætus adagiũ monet, quę noſtra ſunt curat, Quotus autem quiſque eſt, qui ſuo in ſimili non mirificè oblectetur, non conquieſcat? Atque vt huiuſmodi animorum coniunctio, humanique generis conſpirans beneuolentia, non negligeretur à ſingulis; prouidit Deus, ne omnes ſimul quicquam minus haberent, nec ſinguli in omnibus valerent; ſed ſua cuique, & propria, excellens vis, & ad vſum ampliſsima tributa fuit: vt in commune, quod ſinguli poſſent, conferentes, humana ſocietas ſeruaretur. Itaque conſulit Doctor, tuetur miles, vitæ neceſſaria agricola comparat, facilem commeatum mercator efficit, leniorẽ reddit Deum Religioſus, & eius generis alia; quibus manifeſtum eſt dirimendam non eſſe, quæ ſecũdum naturam eſt, humani generis ſocietatem: in qua vniuerſorum ſalus ex ſingulorum communicatione proficiſcitur. Huc enim ſpectat quod dicitur. Habent enim emolumentum ſocietatis. Quæ quidem gratiſsima ſocietatis gratia, duorum numero rectè continetur, quod & ad pericula propulſanda, & ad cõmoda paranda iunctæ vires duorum iuſtam exhibẽt efficacitatem. Si autem tertius accedat, firmior ſine dubio, & conſtantior conſenſio efficietur: Quoniã, exorientes, plerũq; (vt moris eſt) expoſtulationes, deſpicationes, ſuſpitiones, ſedãtur alterius horta; neq; ita in prõptu eſt, cõgreſsionis ſatietas: cum alterius poſsit cõmutatione le-

Pſal. 132.

Eth.

ne leuari. Adde etiam quod duorum adiunctio in rebus ferè omnibus, medij alicuius interiectu conficitur. Qua de re hoc spectantes fabularum explicatores eruditissimi: amicorum numerum ad gratiarum referendum esse censuerunt: quoniam beneuolentia insigniter eo numero coalescit, atq; seruatur; quod præclarè funiculi triplicis operosa direptio, sub metaphoræ ratione patefecit. Demũ nolim quempiam opinari, eam ijs verbis solitudinem condemnari, qua ab hominum cætu, mundique turbinibus nonnulli semoti, aut in literas, aut in piorum hominũ collegium se per votum abdunt, victuri sibi, pieati, & Deo. Optima namq; est vitę hæc ratio conditio prę clarissima. Sed verba referenda sunt, ad solitudinem eam qua cupidi homines, ne diuitiarum sumptus faciãt, vel curis, necessarijs tamen, incumbant: sæuiente auaritia, languore improbo impellente, à conuictu abhorrent; ac solitarij absque sociorum prę sidio commorantur in vita, hic quidem sensus aptissimè in antecedentia conuenit.

Melior est puer pauper & sapiens Rege sene & stulto, qui nescit prouidere inposterum, quod & de carcere interdum, catenisque egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumitur.

IN regio dignitatis gradu amplissimo constitutũ esse, plurimum ad fœlicitatis rationem facere, nemo qui ambigat. Quid enim est fœlicitas nisi bonorum omnium præstantissimum & expetendorum vltimum? Summos verò gerere magistratus, non modo laudis est, sed etiam excellentia singularis; quare iudicio labijs nõ dicetur, qui benè, beateque secũ agi putat, si imperij freno, suo que arbitrio cæteros administret, & moderetur. Et quidem egregia ad Regni celsitudinem ornamenta accedunt, cultus, & obseruantia, mira diuitiarum, delitiarumq; commoda, quibus mirificè animi leniuntur humani. Atque hinc fit, vt in maximis animis, splẽdissimisque ingenijs imperij, principatus, potentiæque cupiditates existant, magnamque ijs adipiscendis contentionẽ habeant

habeant scilicet amplissimũ ducũt excellere cæteris. Iam ve rò si ad rectã rationẽ, præstãtissimũ hoc munus reuocetur, nè dici quidẽ potest, quãtę sit imbecillitatis, quãtę abiectionis; quodq; nõ modo animũ cõsistere trãquille nõ sinit, sed etiã seipsũ tueri prorsus non valet. Etenim aliena in facultate re giæ dignitatis robur locatũ est; ex quo efficitur, vt leuiũ hominum defectione exorta (quod quidẽ facile est, & sępius ac cidit) ij, qui temerè se gerũt, neq; subiectorum inconstantiã curãt prospicere, paruo negotio deturbẽtur è Regno; obscu ri loci, humillimeq; sortis homines asciscantur in eum. Qua de re si prudentię splendor vnus est, qui principatus salutem tuetur, atq; collustrat; ignauia autẽ, & inscitia deijcit, & obscurat; quis abnuet, tenellũ puerũ, atq; pauperẽ, sapientię tamen robore fultũ, sene Rege, atq; amẽti esse summopere prę ferendũ? Ille namq; sapiẽtię ductu, ad Regni iura capessendã frequentius viam sibi munit, & instruit, vt in Iosepho, sacrę li teræ, in Dario, contigisse, externę produnt Historię. Hic amẽ tiæ furijs agitatus, turpissimè à principatus gradu decidit, quod in Saule, & in Sardanapalo, compertũ est; quorũ vterq; facta iactura dignitatis, miseram mortem obierunt. Itaque potiori loco, sapientię decus habendũ est, quã imperij amplitudo: quippe quę multis calamitatibus exponitur, caditque certissimã ad pernitiẽ, si à sapiẽtia disiungatur. Hinc dicitur. Per me Reges regnant, per me principes imperant; quod ea sit sapientię vis, vt suscitet de terra inopem, & destercore eri gat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium glorię të neat. Conferamus modo animũ ad id, quod sequitur: vt abiectissimam esse Regni altitudinem videamus: quæ depressis quoque misera seruitute, loris, catenisq; mancipatis, ad fortunæ ludibrium, mortaliumque rerum despicientiam, obue nire sæpius possit. Vt tum benè nos sentire iudicemus, cum ea verba ex animo proferre placet. Adueniat Regnũ tuum &c. Quod huius mundi Regnum, quod à se Saluator abiecit: dicens. Regnum meum non est de hoc mundo, lubricum est, præceps, & breui temporis spatio finiendum.

Prouerb. cap. 8.
Psal. 112.
1 Reg. 1.

Vidi cunctos viuentes, ambulantes sub sole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo infinitus numerus eſt Populi omnium, qui fuerunt ante eum, & qui poſt futuri ſunt, non lætabuntur in eo; ſed & hoc vanitas, & afflictio ſpiritus.

FRequenter accidit vt cùm multis modis principes magiſtratu abdicentur, tum potiſſimum quod eius adminiſtrationis populus ſatietate defeſſus eſt. Valdè namque ſtudet Populus rebus nouis; & facilè imperij iugum excutere ſibi credunt, ſi Priori abiecto, nouum arripiant: Ex quo efficitur, vt tam nouitate pellecti, deficiant à veteri; quam quod incommoda, oppreſſiones, impoſitaque vectaglia, leuatum iri à nouo, ſibi perſuadent. Verum enim veteris Regis abdicatio, procreatio noui, miſeriam, nôn quidē leuat, ſed aggrauat, non aufert, ſed infert. Cum plerunq; fiat, vt diriora, acerbioraque per ferant modo, quam antea pertulêre. Itaq; peſſimè ſibi cōſulere cenſet Salomon eos, qui nouarum rerum nouitate incitati, ab veteri principe deficiunt ad nouū. quid enim referet? Etenim vt antequā veter magiſtratum iniret, infinitus ferè erat Populus, qui fœliciter agebat; tametſi nō vteretur eo Principe: Ita neque hi, qui poſt ipſum ſuo imperio ſubiecti erunt, quicquam ab eo commodi accipient, aut ornamēti. Euenit enim nonnumquam vt Priori ſit poſterior longè cupidior, maioribuſque calamitatibus, & iniurijs diuexet Populum. Quiſquis itaque principis munere eſt decoratus, non inſoleſcat; quod ſit perfacilè, ipſo eiecto ad nouū ſe conferre; & qui veteris magiſtratus frenum geſtant, nouū ne temerè quærant. Nam ſæpius Prioribus malis, pernitioſiora ſecuntur. Quis enim ignorat, necato Cæſare, vti tyranno, trium virorum fœdiſſimum, & crudeliſſimum dominatū ſubſecutum? Quodquidem egregiè, accommodatiſſimoq; apologo ſamijs (vt prodit Ariſtoteles) declaratum fuit. Ij namque principem capitis accerſitum, neci cæcò impetu deſtinantes, ſic ſententia deſtiterunt. Vulpis quædam (ait Orator) ò ſamij, cum fluuium tranſnaret, ex improuiſo in foueā demer-

deme rgitur;quo loco,ita implicita est,vt nequierit emergere ad quod incommodum id accessit,vt caninæ muscæ,eam im petentes,fermè in extremum adduceret exitium; fortè tunc trãsijt inde Herinaceus, aspexit miserrimo in statu Vulpem, & anhelãtem;miseratus,rogauit; vellet ne vt suis spiculis ca ninas muscas eijciens,euadendi spem compararet?Pernegat illa. Miratus herinaceus querebat causam.Tum illa iam (inquit) hæ saturatę parum sanguinis trahunt,quod si has tu ex cuties, famescentes venient aliæ, quæ quod mihi sanguinis restat,totum ebibent. Pari ratione,vobis quoq; (viri samij) nihil iam iste locupletatus officit,si vero hũc interimetis,aut eijcietis: pauperes alijs locum eius occupabunt,qui ciuitatis pecuniam facile furando consument. Postremò cohęret optimè superioribus hoc modo exposita sententia; cum de regiæ potestatis imbecillitate sit sermo habitus. Nec quemquam fugiat,cunctos esse dictum,yperbolis ratione seruata: quemadmodum cum dicit etiam,infinitus numerus Populis quod est,non minima populi multitudo.

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua vt audias. Multo enim melior est obedientia,quam stultorum victimæ,qui nesciunt quid faciunt mali.

LIcet ad præcedentia huiusce sententiæ non sit in promptu connexio consentanea; tamen si ad hominum varia studia referatur, non admodum dissidere à superioribus,co gnoscemus. Cum enim in principatus mutatione,nihil fœli citati loci esse docuerit:in eam quis cogitationẽ posset dedu ci: vt fœlicitatis tota ratio colendis cerimonijs, impendẽdis victimis, terendisque sacris templis contineretur;sed quantum ij ducantur errore,si animi absit pietas,præceptionumque custodia,planè nunc explicat.Etenim laus quidem non abijcienda,conferenda in eos est,qui tecta sacra frequentius adeunt. Verum enim nisi prius eam rationem ineant, vt nul lo fuco,nulla fallacia, nulla popularis auræ cupiditate addu cti,in ea proficiscantur; sed pie,sincerèque,vt Dei legem,re-

ctamque vitę institutionem audiant;tātum abest,vt eiusmodi templorum habitatio emolumento sit eis,quin acrius diuinam in seipsos excitant iram, quare Esaias. Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis? Itaque quisquis templa petere,ad religionem obstringitur,id curæ prius suscipiat, necesse est; prudenter, scilicet & accuratè cum animo suo cogitare,adhibita in consilium consciētia; num Dei templa ingrediens,Deum ipsum prauis facinoribus, vitiorū que colluuie ex animi sui sede deturbauerit? Spiritus enim sanctus effugiet fictum, nec habitat in corpore subdito peccatis. Igitur (id est) pedem suum custodire:suæ ad templum progressionis rationem, institutumque mentis excutere; si piè id faciat,an secus. Etenim præclarè quidem, quò sit ingressio ista referenda explanat. Appropinqua (inquiens) vt audias; quod nihil hac in re spectandum aliud,quam diuinarum rerum confectio, institutio ad pietatem,religiosi officij disciplina;procul esse debent concertationes,fabulæ,negotiationes, compotationes, & eius generis obscenæ actiones: Stomachans enim Dominus,eiusmodi ait. Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Ac verò sanctè, pièque externum templum ita ingrediendum est, vt sanctè, pièque compositis moribus,Deo nos ipsos templum efficiamus; quo nihil ad Dei cultum, cū exhibendū,tum exaugendū accomodatius fieri potest. Quoniā hac ratione Deo paremus, nostraque omnia studia referimus ad eum, quod longè est stultorū victimis excellentius. Ait enim quò mihi multitudo victimarum vestrarū? plenus sum,holochausta arietū & adipem pinguium,& sanguinē hircorum,& taurorum nolui: facta sunt mihi molesta. Hinc Samuel. Nunquid holochausta, & victimas vult Deus, & non potius vt obediatur ei? Præcipuus ergo Dei cultus sit, eius obtemperare mādatis;& sic Ecclesię limina terere,victimas, & dona exhibere, vt prius mundata sit conscientia ab omni inquinamento carnis,& spiritus. Nam stulti eius rei nullum delectum habentes,ductique cęco errore, quantū sit facinus

Cap. 1.

Sapiē.c.1.

Mat.c.21.

Esa. c. 1.

1.Reg.c.1

2.Chor.7.

ſeipſos flagitijs dæmoniquè perditè tradere, non aduertunt, nec veram religionis diuinæ rationem ſuſcipiunt. Verum enim cultum in ſpiritu, & veritate cōſtitui debere Dominus in Euangelio, docuit. Quanquam pietatis non mediocrè ſignum ſit, terrenum quoq; templum ſæpius petere, illudquè complere. In Eccleſijs benedicite dominum. Ioan. c. Pſal. 67.

CAPVT QVINTVM.

Ne temerè quid loquaris, neq; cor tuum ſit uelox ad proferendum ſermonem. Deus enim in Cælo, & tu ſuper terrã, idcirco ſint pauci ſermones tui. Multas curas ſecuntur ſomnia, & in multis ſermonibus inuenietur ſtultitia.

CVM de rebus omnibus digna, & conſentanea loqui grauioris ſit operis, tum maximè de diuinis, ſi ratio habeatur. Quotus enim quiſq; eſt, qui de Dei natura, deq; rebus diuinis diſſerens, poſſit cōſequi, vt tota dilucidè, & planè oratio exornata ſibi cōſtet, & ex omni parte ſecum ipſa cōſentiat; cum nos, qui dixerimus, & homines ſumus, & terram incolentes? Ex quo efficitur, vt quantũ ad æternitatem id quod ortũ eſt valet, & ad cœlũ terra, tantum hominis ſermo valeat, ad explicationẽ diuinorũ. Hinc Eſaias myſterio quodam, atq; inuolucro Dei viſionem excipiens. Proſpexit in trono excelſo, aſſidentem, cuius tam ſuperiora, quam inferiora ſeraphinis alis tegebantur: fidẽ profectò faciens, quod minima queque Dei, perinde ac maxima (ſi tamen minimum, & maximum eſt quod totum diuinum eſt ſuique ſimilè) obſcura ſint nobis, & inuoluta. Habitat, namque, lucem inacceſſibilem, quam nemo hominum videt. In quam ſententiã Diuus Grego. Mens noſtra (inquit) quãtumcũq; cōtẽplatione profecerit, nõ ad Deũ, ſed ad aliquid infra Deũ, perueniet. Etenim planũ eſt, Dei nobis omnẽ cognitionem, aut ſuo afflatu, aut ex ijs que ſub ſenſum cadunt rebus, Cap. 6. 1. Tim. c. 6

com-

comparari; quod si diuino instinctu, diuinorum cognitionẽ consequemur, eodem certè moderatore, vt omnis absit temeritas, verba sunt de diuinis facienda: qua ratione, Prophete, Apostoli, cęterique doctores vsi, egregiè diuinis explicandis claruere. Si vero conditis ex rebus depromitur, tum diutino vsi consilio, delectu maximo adhibito, summa apposita breuitate, de Deo sermonem instituamus. Non enim hæc creata, nisi per obscurè, ac diminutè diuinam vim, & eius opes ostendunt; adestque inter Deum, atque ipsa, analogiæ vis, & quasi ratio quædam latiori specie, & communiori ratione constituta. Vt quoniam sunt res creatæ; colligamus esse opificem earum; quodque bonæ sunt, agnoscamus bonum esse parentem, a quo illæ creatæ sunt, atque hoc modo latius hæc ratiocinatio patet. Adhibenda est itaque cura, vt potius de Deo sileamus, quam temerè id agentes, nec de ineffabili Maiestate eloqui digna valentes, contraria definiamus. Cuius culpæ fœditas ex accommodata, ad nocturna sõnia, collatione dilucidè explicatur. Vt enim qui supervacaneis, futilibusque concitãtur die curis, noctu earum formis, ac imaginibus deluduntur; quod nihil graue vigilantes animo cum tractent, vana illa, & puerilia noctu occurrant necesse est. Ita imprudenter sese sermonibus effundens homo, atq; adeo in ijs rebus versans, quarum est admodũ difficilis explicatio; nihil solidũ, nihil constans efferet, sed quæ aut cũ fide, aut cum ratione pugnabũt. Quo quidẽ crimine, ij implicantur, qui sese efferẽtes, omnia volunt definire, cunctarumque rerum amentissimè se præceptores prestare, quod quanquam in ceteris disciplinis videatur laboriosum eis, sacris in literis tamen, nullo penè negotio se consecutos iri arbitrantur. Hinc sutor indoctus, delira Anus, Garulus Senex, sacras literas suscipere explicandas non verẽtur. Qui certè si eiusmodi sapientis sententia non cohibentur; loris sunt, & catenis constringendi.

Siquid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio; sed quodcunque voueris redde, mul-

multoque melius est non vouere, quam po... a promissa non reddere.

QVamquam Deus Cœlo assidēs, magnopere ab eorum qui terram incolunt abiectione distat, curat tamen res nostras; flagitatq; non modo sibi honorem, laudemque deferri; sed etiam nuncupata vota persolui. Non quidem quod id, aliquid suæ Maiestati commodi præstet: cum omnium sit bonorum fons affluentissimus; sed hoc modo animatos erga seipsum nos esse, ad nostri ipsorum salutem tuendam, multū valet. At qui sine penitentia sunt dona Dei, & vocatio. Estq; fidelis, in omnibus verbis suis, cuius quidem constantię vim in nos ita exprimemus, si integrè promissa soluentes, semel datam fidem firmiter conseruemus. Etenim si promissis non stare cum hominibus, magno dedecori & ignominiæ est, ac plerunque vitę, aut fortunarum saltem periculum impēdet; quanto arbitrandum est turpius, calamitosiusque esse, datā Deo fidem non soluere? Certè rem nullam possidemus, quā diuinæ munificentiæ ferre acceptam non debeamus. Omne enim datum optimum, & donum perfectum de sursum est. Ex quo efficitur, vt cum nostra omnia, vt sua possit repetere Deus, ea tantummodo flagitet, quæ spontè, nutuque nostro ipsi rerum auctori promiserimus. Hoc est enim votum. Voluntaria & libera facta Deo pollicitatio. quæ tum sanè Stultà, infidelisque appellanda, & iudicāda est: si à verbis rei exitus dissentiat: neque factis, officij vis expleatur. Quid namque stultius, quam sibi non constare, atque à seipso desciscere? Sed enim qui præstitam nō liberat fidem, sine dubio hoc se vitio indicat laborare. Nullaque est, in exsoluendis votis interponenda mora, ne Dei offensionem incurrētes, debitas delusoribus pœnas luamus. Vt enim eximiam quis, factis votis Dei beneuolentiam sibi conciliet, præclaroque videatur ornandus munere; nihilominus præstantioris est consilij, ab eorum promissione abstinere, quàm temerè ab emissa semel promissione discedere. Illud enim cum in nostra sit voluntate, prætermitti sine crimine potest; hoc nisi magna cum culpa

Rom.c.11

Iacob.c.1.

Psal. 115. pa nō poteſt. Hinc Dauid. Vota mea Domino reddam. Item
Psal. 65. quę reddā tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea. Sciens ſine dubio, quanti ſit ſceleris fœditas, eorum aut morari ſolutionem, aut negligere.

Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam. Ne dicas coram Angelo non eſt prouidentia, ne forte iratus contra ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.

PRoprij ſenſus is poteſt conſtantiam retinere, qui eum nō temerè, non incōſultè ſuſceperit: tum enim quid tueatur, quid repudiet, quę vtrorumque ſit vis, animo iam expēſa, nulla ſuberit ratio, ab inſtituto deſciſcendi. Quare cum explicaſſet prius nuncupata vota neceſſario perſoluēda, mōdo adhortationem adhibet veluti remedium ad promiſſorū conſtantiam retinendam. Diutius ſcilicet eius rei conſilium capere, menteque excutere, naturę ſuæ imbecillitatem, promiſſæ rei magnitudinem; quorum rationes ſi diu cohærere
1. Cor. 7. inter ſe perſpexerit non poſſe: à votorum ſe temperet promiſſione; ne ex his quæ non promiſſa nihil afferebāt incommodi, poſtmodū promiſſione adhibita, ingens pernities oriatur. Ho eſt enim non tradere os ſuum, vt caro peccet; imprudenter non ſuſcipere vota, ne naturæ ægritudine, & imbecillitate, promiſſis non ſtando, peccatis inuoluamur. Nitimur
Chor. c. 7. enim omnes in vetitum, cupimuſque negatum. Atque huc ſpectat illud Apoſtoli cum de Virginitate ageret. Melius eſt enim nubere, quam vri, præceptum nōn habeo, conſilium autem do. Quod ſi dicata vota ſcelerate perfrangimus inexpiabiles certè luemus pœnas. Nec nos ipſos fas eſt delinire dicentes. Non eſt prouidentia; nihil curæ de nobis, vendicat ſibi altiſſimus, nec perditos mores pœnis perſequetur omnium optimus. Adſunt nimirum Angeli, in noſtrę ſalutis ſubſidium attributi, quorum teſtimonio conuincemur, vindicationeque puniemur. fieri enim nequaquam poteſt, vt tā execrandam cogitationem, in Deum ſi ſuſcipimus, cœlites ipſi ſtomachantes non auerſentur, & acerbiſſimis afficiāt nos

 ſupli-

supplicijs. Ecquid potest Dei atq; Cœlitum in nos vindictã acrius incitare, ac nullam eum de rebus humanis habere rationem, asserere? Quid enim ad votum ei euenire vnquam poterit, qui Dei nutu, ac mente Mundum administrari negabit: cum ab eo tãtum, cum pœnè mala, tum bona proficisci, innata ratio doceat? Nullæ itaque res nobis ad voluntatem fluent, nulla operum ratio rectè progredietur, si Dei numen rebus nostris abesse cogitemus. Quare Apostolus doctrinę sacræ colligens summã ait. Credere oportet accedentem ad Deum quia est, & quod inquirẽtibus se remunerator sit; hoc est: eius prouidentia mundum administrari.

Hebr. capit 11.

Vbi sunt multa somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri, tu vero Deum time.

NOn secus illi esse certum est, qui nostras Deum minus curare res in animum induxerit; atque nauis gubernaculo destituta; illuc enim cum aperto suæ salutis exitio impellitur, quo ventorum vis dirissima protrudet. Pari modo isti cuncta casu, temerèque agitari arbitrantes, ad vanissimas somniorum obseruationes se conferunt, illasque vt nostrarum rerum certas præsensiones venerantur, fideque complectuntur: quo certè nihil ineptius est, nihil flagitiosius. Etenim innumeris ferè ex causis somnia in nobis excitantur: nimio, videlicet, potu, cibo, demonum opere, atque ex relictis in animo impressis imaginibus. Quo certum nobis sit argumẽtum, futilem vanamque eorum esse obseruationem. Quî enim fieri potest, quod ex tam varijs efficitur causis, id tanquam rerum præsensionem nobis immitti? Nam quamuis insomnia multa, Dei munere, vt rerum futurarum inditia, hominibus euenerint; vt de vtroque Iosepho sacræ literæ prodiderunt, tamen rarius id contigisse legimus: ac satius est, in diuinam omnia reijcere prouidentiam, qui æternitatis sede locatus, cunctas temporum vices, immobiliter complectẽs, vim omnia pernoscendi obtinet; neque futuri, neque præteriti lapsum sentiens, in seipso, perinde ac in speculo fulgen-

tiſſimo cuncta vt præſentia intuetur, proque ſuo arbitrio moderatur. Abſtinēdum eſt itaque ab inani ſomniorum cultu, quod incerta ex cauſa, firmæ rerum præſagitiones emanari non poſſunt. Atque ob id ſermonum ea interpretantiū, plurima eſt varietas, mira, & inanis, diuerſa expoſitio. Quocirca rectè dicitur. Vt Deum reuereamur, cuius in facultate, tum commoda, tum incommoda reponūtur, atque vt ſibi libuerit, elargitur. Hinc Propheta. Ego Dominus & non eſt alter, formans lucē, & creans tenebras, faciens pacē & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc. Innumeros autem eſſe ſermones dixit, vſus yperboli, vt quia nihil firmi, nihilq; certi ex eis licet coniectari, hinc multæ confingantur explicationes, plures expoſitiones effutiantur.

Eſa. c. 45.

Si videris calumniam egenorum, & violentia iudicia, & iuſtitiam ſubuerti in Prouintia non mireris ſuper hoc negotio, quia excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij, & inſuper vniuerſæ terræ rex imperat ſeruienti.

VT nihil hominibus eſt ſalutarius imperio iuſto, atque virtutibus exculto, & munito; ita nihil eis peſtilentius dominatu prauis cupiditatibus ad iniuſtitiā inſtructo. Quis enim commemorare queat, quātam cladem rebus humanis afferat, Dominorum ambitio, & laudis effrenata libido, peſtilens, & exitioſa? Ex quibus partim ad dignitatis amplitudinem, ſplendidi cultus elegantiam, partim ad gratificandam aſſentatorum multitudinem, opum ſummo ſtudio comparādarum erumpit ardor exedens. Tumque venalis habetur iuſtitia, cauſæ ex largitionibus penduntur; non ex iuribus, iudicia egenorum, diuitum immanitate obruuntur. Cuius certè peſtis incendium ex ijs excitatur cauſis, quæ in litera exprimuntur. Dum enim opum, & gloriæ, perditiſſimo, qui res gerunt, ducuntur ſtudio; expetunt erecti, atq; alacres, magno famulorum antecedentium, atque ſubſequentium turba conſtipati incedere, tumque putant ad vitæ magnificentiam magnopere conferre, atque ad famulatus eis exhibiti

dignum

dignum premiũ, homines certas in classes ad imperium administrandum constituere, ac potius ad certissimam populorum prędam destinare. Hi namque diuitiarum congerendarum amore inflammati, ex quibus & generis claritas, & voluptatum lenocinium comparatur: omnia iura violant, & vniuersæ reipublicæ statum conuellunt; maxime autem furenter tenuiorum opes inuadunt. Deindè accessione inflammatę cupiditatis potentiores quoque adoriuntur, quod quidem malũ frequentius ex Principum multitudine nascitur. Scitè namque Peripateticus dixit. Principũ multitudo mala, vnus ergo Princeps. Veruntamẽ cum fieri nequeat, vt per se vniuersæ Reip. munera Princeps gerat, fit vt certis negotijs sint familiares sui pręficiendi, à quibus vitę splendore inductis, priuatorum fit prædatio, publici boni depopulatio, nec vlla occasio, patrimonij contra fas augendi prætermittitur. Vides quàm sint hæc tetra, quam luctuosa? Dum qui publicam, priuatamque salutem, dignitatemque tueri ratione iustitiaque debebant, ad immanissimam inopum prædam se conuertunt. Quæ non mediocrem de prouidentia diuina afferunt hæsitationem. Verum, erit tempus, cum potentes potenter tormenta patiẽtur; atque durissimum his qui pręsunt fiet iudicium. Deo enim opt. Max. derelictus est pauper; & cum eos nefarios in hac rerum luce exigua omni immanitate grassari sinat: in fulgentissimo futurarum rerum lumine æternas dabit ad pœnas; pauperibus autem quod promisit repẽdet. Beati pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnũ Dei. Hac ergo vna spe sustentemus, alamusque animum ex iustitiæ subuersione mærentem, & afflictum; quod Rex vniuersæ terræ imperat seruienti. Quisquis itaque impia prauorum fraude circumseptus, infestisque facinorosorum Principum latrocinijs deiectus manes, ne (quæso) mireris, aut de Diuina procuratione quicquam obscitans cogites, aut imbecillum; sed fractum animum, atque obdormiscentem exuscita hac vna voce, Et rex vniuersę terræ imperat seruiẽti. Quid ad te subleuandum efficacius? cum ad tam iustissimum tribunal tibi de splendidissimis Principibus maneat prouocatio?

Metaph. 12.

Sap. c. 6.

Psal. 9.

Mat. c. 5.

Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis; & hoc ergo vanitas.

QVoniam quidem tuendæ causa amplitudinis familiæ, ac posterorum; quorum existimatio, ac dignitas rueret, nisi rerum alienarum vt illis videtur, accessione fulciretur; Principes venalia habent iudicia, & prætio, muneribusque deliniti optimas tenuiorum causas euertũt. Interest certe sapientiæ vt ex eis tam pernitiosus eripiatur error. Atque huc spectat, quod opum, atque pecuniæ studium nullo coerceri termino asserit; neque commodi quicquam efficere asseuerat. Nam licet ab optimo rerum opifice commotionem hanc animi, & expetendi vim habeamus, qua impulsi, quibus caremus, res iucundas appetimus, pestiferas declinamus; modum quẽdam ea habet, suisq; finibus procul dubio continetur; primæua tamen labe factũ est, vt natura hos terminos transiliens, vsque adeo præceps, ac cæca ruat, ad appetenda etiam, quæ nullum animo solatium afferunt; quorum numero imprimis pecuniarum auiditas debet haberi; quę tũ est pestilens, & exitiosa, tum insatiabilis, & infinita. Nempe cuius nec ardor vllo modo restingui potest, nec impetus ratione vlla coerceri. Audi Poetam. Crescit amor nummi, quãtum ipsa pecunia crescit. Ecquis itaque id itineris suscipiet, cuius nulla est meta? Ecquis id pertransire aggrediatur maris, vbi nulla est extremitas, nulla litoris ora, quo perueniẽs conquiescat? Si ergo tantum est in diuitijs inanitatis, atque miserię: cohibeamus nostras cupiditates, atque hanc ipsam vim ad res expetendas salutares adhibeamus: quemadmodum nos sacræ literæ adhortantur. Concupiscite sermones meos. Et transite ad me omnes, qui concupiscitis me. Diuitiarum verò eum præclarissimũ esse fructum sentiamus, si in pietatis officia exercenda, conferantur. Facite (inquit) vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula. Eorum autem conseruatio nullius certè emolumenti est, nullius commodi. Quare in

Sap. c. 6.
Eccl. c. 24.
Luc. c. 16.

re in eis summa inanitas est, tum quod earum cupiditas inexplebilis est, & immensa, tum quod earum vsus in expendẽdo potius, quam in retinendo continetur.

Vbi sunt multæ opes, multi & qui comedunt eas, & quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?

OPum vera ratio eò per se dirigitur, vt earum ope naturam nostram à necessitatibus tueamur; quo fit vt (velit nolit) ipse auarus in hominum vsum cedant illæ, necesse sit. Aegrè enim rerum vim ac naturam humana imbecillitas potest inuertere. At qui frequentius id etiam accidit incommodi, vt ex diuitijs nemo sit qui minimum fructum capiat, atque auarus. Etenim amentorum custodes, frugum collectores, canes, accipitres, seruorum multitudo, pellices mulieres, assentatores, & sexcenta alia quibus opulenti, siue ad res gerendas, siue ad luxum, ac libidinem circumsepti sunt semper, maiorem diuitiarum partem absumunt. Quisquis itaque diuitijs colligendis animo diuexatur, quid planè aliud efficit, quam horum helluonum se, procuratorem exhibere? Quod si eas non expenderit, sed tenacissimè seruarit, deterior eum manet fortuna; cum acerbissimorũ laborum, nihil aliud vel fructus, vel voluptatis percipiat, quam oculis eas cernere. Non ne maiori aspectus iucunditate perfunditur, si cælestium, ac rutilantium astrorum ornamentum, si perlucidos amnium liquores, si viridissimos riparum vestitus, si vernantes pratorum flores perspiciat? Quæ quidem nullo fermè labore in cernendi sensum cadunt: diuitiarum verò congestus incredibili animi angore, summo labore corporis comparatur: nec vera est aspectus obiecta ratio à natura tributa. O Amentiam singularem, se conficere, vt pascantur alij, se affligere vt alij recreentur. Egregiè Apo. Habentes victum & quibus tegamur his contenti sumus.

1. Tim. 13

Dulcis est somnus operanti, siue multum, siue parum comedat, saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.

INnter oblectationes, quas animãtibus prouida rerum parens natura tam benignè indulsit: nihil sopore suauius, nihil vtilius; Adsint enim prætiosę dapes, obsonia benè condita, iucũdissima vina, cęterę q; ad genij delititias, exquisitæ rationes: nisi te sopor capiat (bone Deus) quot incommoda te prement, stomachi intemperantia, humorum cruditas, capitis crucians dolor, vigilia diuexans, cæteraque alia huius generis innumera, quæ luctuosissimam tibi vitam reddunt, funestamque afferunt mortem. Memoriæ namque proditum est. Decium sullam mortuum cruditate. Ecquid pestilentius crudis, concretis, acribus, natantibus stomacho humoribus, ac frustis vinum redolentibus? En hæc sunt diuitiarum mercedes, hæc opulentiæ lucra? At pauper vitæ necessaria proprio labore parans, & frugalibus escis, & potionibus fruitur, quibus lenissimi ex stomacho excitantur flatus, suauiterque, naturę ob lassitudinem, concalefacto sanguine, iucundissimo occupatur sopore: nõ turget venter, nõ languet stomachus; non dolet caput, ad leuem enim cibum, siue grauem, accessit corporis labor ad concoquendum aptissimus. Diues autem semel crudus, ac iterum se ingurgitans, parcit laboribus, vacat inertiæ, ciborumque confectioni locum relinquit nullũ; quare ijs oppressus, calamitosam incurrit vigiliam; crudi enim ij flatus ac innatantes cibi, spiritus agitant, infestant caput, cor excruciant, quibus morborum vis ingens excitatur. Quid quod, id accedit etiam incommodi, vt nec quicquam vel suauissimum ei sapiat? ita poculentorum, atque esculentorum varietate ac exuperantia stomachus languet ac iacet; gustatus obtusus est, hebes guttur? Contra, industriò ac laborioso, valet stomachus, viget gustatus, guttur acutus ac simplex, vt vilissima quæque sapiant huic homini, compareturque sincerum, solidum alimentum. Rectè Socrates condimentum cibi, dixit, famem, potionis sitim. Quæ quidem labore, non saturitate parantur.

Est

Eſt & alia infirmitas peßima, quam vidi ſub ſole, diuitiæ conſeruatæ in malum domini ſui, pereunt enim in afflictio ne peßima. Generauit filium qui in ſumma egeſtate erit, ſicut egreſſus eſt de vtero matris ſuæ nudus, ſic reuertetur: & nihil auferet ſecum de labore ſuo. Miſerabilis prorſus infirmitas. Quomodo venit ſic reuertetur, quid prodeſt ei niſi quod laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, & triſtitia: hoc itaque viſum eſt mihi bonum, vt comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore ſuo, quo laborauit ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus, & hæc eſt pars illius. Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatemque ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ, eo quod Deus occupauit cor eius delitijs.

PErgit adhuc malorum radicem diuitiarum, videlicet; amorem ex animis noſtris conuellere. Nullius namque virtutis, & honeſtatis fructus colligi poteſt, niſi non modo conuellatur ipſa, ſed etiam eius fibræ penitus extirpentur. Quare innumeras eius repetit inanitates & pernities, vt ijs deterriti, eas amare deſiſtamus. Sæpius diximus parandas eſſe diuitias vt vtamur; corporis neceſſitates ſubleuando, vitæ huius anguſtias leniendo, frugalem victum, ac cultum ſuppeditando. Quod ſi non modo earum beneficio lautius, atque ſecurius vitam ducimus, ſed mors inde, atque pernities poſſeſſori manet: cuius fuit colligendis ijs crucians labor. Quid miſerius? Quid luctuoſius? quid fugiendum magis? At frequentius fert caſus, vt vel latronum immanitas, vel domeſticorum cæca cupiditas, onuſtum diuitijs dominum, è medio, vt illis potiantur, conentur tollere; aut veneno diriſſimo, aut ſtran-

ſtrangulandi ſupplicio, aut luctuoſiori alia eius generis mor te. Hinc Poeta, nocitura petitur toga, nocituræ petuntur di uitiæ. Quorſum igitur nobis ipſis per nos tantam peſtem im portari? An ea re opum ſtudium colendum dicet quiſquam, vt filijs hæreditatem relinquamus? quid inanius? cum plerunque antequam ad filium perueniant, amittantur? Ac fac: vt filius opulentiſſimus ſuccedat tibi, quoties ludis, quoties profuſis largitionibus, quoties varijs eius generis modis eas miſerrimè abſumet, vt penuria tandem acerbiſſimè conficia tur, excedatque ex hoc mundo, quomodo ingreſſus principio fuit? Manet enim ac fixa lex illa eſt conditionis noſtræ, vt ſicut nihil (ait Apoſt.) in hunc mundum intulimus, nihil etiam exportemus: aureis licet hic exorneris ſtolis, purpura vtaris prætioſiſſima, fulgentiſſimis eluceas gemmis, tandem nudus ipſe nudam, conſtanti Dei fato, amplexaberis parentē terram. Vide diuitem in hac ſcena purpura, byſſoque nitentem, apud inferos non biſſo, ſed exedentibus flammis, non purpura, ſed denſiſſimis tenebris, non gemmis, ſed vermibus circumſeptus obruebatur? Neque itaque viuo, neque mortuo opes conferunt emolumenti quicquam, præterquam ſi ad pietatis officia applicentur. Amentiſſimum eſt ergo ad id aſſequendum laboribus ſe conficere, nullam vitæ iucunditatem guſtare, ſuauiſsima amicorum conſuetudine carere, atque duriſſimam vitæ rationem curis infeſtis, & ęrumnoſis di uitiarum ſtudio ſuſcipere; hoc enim eſt in tenebris cōmedere, nullo conſortio, nullo amicorum conuictu lepido, nulla æquitate animi ſe oblectare. Metaphorica namque ratione, ſolitudinem, acerbitateſque vitæ, tenebræ referunt. Verum enimuerò eiuſmodi errore ſublato, quid homini ſit faciendū exponit: ſtudia ſcilicet ſua, atque labores, ad vitæ vſum, commodumque temperatum referre; non quidem cumulā dis opibus fœlicitatem conſtituere: quæ ſanè mediocritas Dei nobis benignitate contingit: vt futiles atque ſuperuaca neas, reijciētes, curas, non iniucundam vitam degamus. Atque hæc demum rerum, quę in hoc mundo ſunt, vera eſt pro borum hominum portio. Cœterum cum propheta æquiſſimo

1. Thi. c. 4

Luc. c. 19.

mo ani mo dicunt. Portio mea Domine sit in terra viuentiũ. Nam hæc caduca ad miserias tantum præsentis necessitatis subleuandas re vera accomodanda sunt; tumque pacatissimo erimus animo, ac minus durum præsens exilium experiemur, cum ab omni liberi fœnore, ab omni alieni cæca, & inexplebili cupiditate seiũcti, animi pacem nullis cum delitijs conferendam, ac potius veras delitias, assequemur. Hoc nimirum illud est. Mens iusti, quasi iuge conuiuium. Ac sedebit populus in pulchritudine pacis.

Psal. 118.

Prouerb. cap. 15.

Esa. c. 32.

CAPVT SEXTVM.

Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. vir cui dedit Deus diuitias, & substantias & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eâ, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.

CVPIDITATVM profluentia magnopere vexat humanum animum; quo fit, vt sicut naturæ, quam maximè cõducit opes, ad depellendas calamitates vitæ colligere, sic nihil tetrius quam earũ munere à Deo nobis indultò, ita frui, vt superuacanea, & redundãtia desideria secuti, auaritiæque freno coerciti, congestas diuitias non conuertamus in vsum. Tum namque plurima redundãt in nos detrimenta. Primum, diuinis abutimur muneribus, quo nihil scelestius. Deindè in nos ipsos efficimur infensissimi, quo quid magis potest cum natura rerum pugnare? Postremò nostris ex incommodis extraneorum luxum, ac libidinem explemus. Quid inanius? quid sordidius? Siue enim naturæ opes quas substantiarum, appellat, nomine: siue arte partas, quas diuitiarum vocabulo notat, siue nominis claritatem atque laudem, nostrum ad vsum beneficentissimus

Deus procul dubio tribuit. Prçclarissima profectò munera, & singularia. Quando res quidem priuatas commodè diuitiarum ope tuemur; publicas verò nominis celebritate roboramus. Ecquid ergo ei deesse ad vitam cum pace degendam poterit, qui Dei munere, tum diuitijs ad propriam tuẽdam salutẽ, affluet, tum honore ad decus apud exteros eminet, comparandum? Et tamen satis amentissimè salutaribus ijs preruptis terminis, fit permissu diuino, vt semper auaritię virus serpat latius, longius propagetur, nullumque tam suauissimis donis commodum capiant, quin angore teterrimo torqueantur. Et est miseria ista quicquam funestius? Aquã more tantali ad os admotam sitiẽtem habere, nec ea perfrui: vt siccitate tandem enectus, pereas, extraneis verò ingurgitãdam exhibeas? Hem, quo stupore opprimimur: quãta rabie?

Si genuerit quisque centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit; & anima illius non vtatur bonis substantiæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio, quod melior sit illo abortiuus; frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione deletur nomen eius; non vidit solem, neq; gustauit distantiam boni ac mali, etiam si duobus millibus annis vixerit; & non fuerit perfruitus bonis.

HAeret profectò firmiter animis nostris auaritiæ radix teterrima: vt plurima, sibi iure optimò ad extrahendã stirpitus, opera vtendũ esse sapiens censeat. Quamdiu enim viget illa, tantum abest vt boni quippiam fit, vt quæcunque nobis suauissima, quæcunque charissima, in hac rerum luce habentur, nullam afferant pacem, nullum pariant decus, nullum efferant fructum. Quid filiorum sobole dulcius? in qua tum sanguinis, tum opũ successio seruari iure debetur? Quid vitæ diuturnitate charius? cuius gratia incommoda etiam senectutis libentissimè perfimus? Veruntamen cum diuitijs congerendis ita perditè operam, industriamq; locamus: nostram

ſtram ad pernitiem id cadit: nec poſteritate lætamur, nec vitæ diuturnitate vigemus, quoniam cupiditate dominante, miſerè, atque duriter vitam traducimus, filios parcitate ferè necamus, nec humandi corporis poſt obitum pij officij rationem habemus. Quid ni fruſtra adſunt liberi? inaniterque vita prorogatur? Quis enim queat, vita ſic inſtituta, quot quantaſq; incredibiles hauriamus calamitates, narrare? Certè præſtabilius foret, antequam ad lucem hanc conſpiciendam efferemur, ortu intempeſtiuo abegi, quam tetris eiuſmodi conditionibus ſubijci. Quare enim hunc è cœlo ſpiritũ ducimus; niſi vt ijs, quas optimus rerum effector varietates edidit, vtamur ad commodum, lenioremque huius exilij calamitatem reddamus? Quod quidem ſi non efficiatur, certè fruſtra, nullaque ratione, rerum hoc theatrum aſcẽdimus; quin potius ad tenebras (ideſt) miſeram conditionẽ venimus; quod nihil quicquam ad noſtri, vel aliorum emolumẽtum agentes, nominis obliteratio ſine dubio conſequetur. Quis enim eius meminerit, qui grauiſſimũ vitæ ſtatum, vt parceret pecuniæ, tenuit; nec parenti terræ ſui corporis molẽ ſponte, ſepulchro extructo reddere voluit? Hinc optime ſequitur, Non vidit ſolem, hoc eſt, nihil iucunditatis hauſit; quid enim ſolis aſpectu iucundius? Neque boni ac mali diſcrimen habuit: quoniam effreni cupiditate exoculatus, non nouit, quæ ad noſtrum vſum, quæ item ad fœlicitatem ſunt referẽda; ſed perturbata ratione ſe gerens, ſeipſum illis turpe mancipium tradidit, quarũ vim in ſui obſequium & vſum vindicare debebat. Rectè ergo non vidit ſolem, tametſi diuturnam admodum duxit vitam, ſiquidem re vera mortem atque adeò duriſſimam obire eſt, ſic vitam agere, vt omni detracta iucunditate, omni ſemoto rerum vſu, diuitijs aſſeruandis vniuerſum animi ſtudium, multa ſolicitudine, exedentibus curis, conſumatur. Ec quæ eſt etiam mors funeſtiſſima cum tam fœdiſſimo miſerrimoque vitę genere conferenda? Quare ſequitur congruenter ad eiuſmodi amentiã confutandam. Non ne omnia pergunt ad vnum locum? ac ſi dicat: ita ſunt omnia lubrica, atque fugacia, vt ad interitum,

velint nolint, impij cadant ? Itaque & horum iacturam facient, & æterni præmij iucunditatem amittent. Calamitosa igitur eorum vita, mors funestissima.

Omnis labor hominis in ore eius, & anima eius non implebitur bonis.

QVàm prestat labores nostros cò dirigere vt salutem vitamque accomodatè tueamur: desinamus autem diuitias ad fœlicitatis fructum conquirere ? Nam animus ipse noster rebus ijs caducis expleri, atque saturari non potest. Hęc enim vis his est subiecta verbis: scilicet vt vanis curis abstineamus, cumulãdarumque opum submoueamus studium inquietum; eaque temperantiæ ratione vtamur, vt ad vitam tantum sustentandam elaboremus. Cæterum animi nostri spem, longius, ac sublimius, quam vitæ huius breuis cursus postulat, protendamus. Quæ sanè viuendi ratio ei dicto cõsentit, quo Adamo præscriptum est. In sudore vultus tui vesceris pane tuo; tanquam diceret, omnis labor hominis in ore eius. Potest etiam alia eiusdem sententię explicatio esse: vt hominis labores omnes in eloquentiæ adeptione ponantur. Siquidem verborum lepore, orationisque ornamentis florere, non in postremis ducendum est; ac potius splendidissimum est, in eo cęteros homines anteire, quo bestiæ superantur ab eis. At procul dubio id studij vt præclarissimum sit: animo pacem firmam atque perfectam non elargitur. Regnum enim Dei minimè est in sermone, sed in virtute & pietate; tametsi cum diuina tractamus, tantum abest vt vitium sit eloquentiæ studium, vt suauissimum sit mentis pabulum, diuinorum oratio condita, & compta.

Genes. c. 3

1. Cor. c. 4

Quid habet amplius sapiens à stulto. Quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?

SI huius tantum vitæ rationem ducamus, cõstat profectò eos qui seruãdis diuitijs vexantur (magnum re vera stultitiæ

titiæ argumentum)non modo eiusdem,cum paupere sapien te conditionis esse,quin abiectoris: quod ille quidem discre pantes ac turbidos animi sui motus patiens, æstu quodā mē tis agitur,ac laceratur; hic verò optimo fretus animo summa in tranquillitate versatur,quare Dominus.Beati(inquit) Pauperes quoniam vestrum est Regnum Dei.Regnum enim Dei hac vita est : mentem præclaris, ac pijs cogitationibus alere. Eum autem appellat sapientem pauperem, qui animū ab opum inani,& turpi studio auocat; is namque ad vitam si ne dubio pergit: quoniam mundi huius oblectamenta despi ciens,& vt stercora cum Apost. reputans, vt thesauros in ter ra non condidit,sed in cœlum,mente,& cogitatione se extu lit: ita illuc re ipsa euolabit. Turpissimum est ergo diuitijs dare operam, quando nihilo plus in huius vitæ necessarijs, habet opulentus à paupere. Pascit namque Deus etiam volatilia Cœli, aperitque manum suam, & implet omnē animal benedictione,vt det illis in tempore cibum suum. Itaq; quæ potest tam solers esse procuratio,quę cum diuina pater naque hac cura, qua nos tuetur, conferri possit? igitur hoc vno animi tranquillitas comparatur,si spem omnem nostrā in solo Deo collocemus : atque adeo persuasum habeamus fide ac rectè factis qui se ornauerint, vt rerū sint hic inopes; cœlestibus tamen opibus æterna vita cumulandos.

Luc. c. 6.

Phil. c. 3.

Luc. c. 12.

Matt. c. 6.

Psal. 144.

Melius est uidere quod cupias,quam desiderare quod nescias, sed & hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

QVi in hac vita eo consilio versantur,vt mortalibus vti tantum velint, neque cæca mente ad inexplebilem di uitiarum congerēdarum cupiditatē animum applicēt: quin & accuratè perspiciunt, quatenus quidque sit expetendum; hi non modo magna animi tranquillitate fruuntur, sed ditissimis quibusq; sunt longè præferendi. Secuntur enim quod ijs verbis Salomon monet, vt videant diligenter quod cupiant:quando eatenus mortalium rerum vim appetunt,quo ad vitæ istius inopiæ succurrant. At cupiditatis labe infecti,

dum

dum vsque eò colligunt opes, vt ex eis fœlicitatem cõsequi se posse existiment: profectò id appetunt, quod nesciunt. Si enim quæ sit diuitiarum natura, quæ vis, quis finis, præclarè tenerent: haud dubium quin, vt ad vitam ducendã prodesse quicquam cognoscerent, ita nihil ad præstandam fœlicitatem momenti habere iudicarent. Itaque fœdissima est inanitas, atq; adeò animi putidus tumor, id vt finem asciscere, quod vt inopiæ subleuandæ remedium institutum fuit. Hoc itaque delectu via ad fœlicitatem munitur.

Qui futurus est iam vocatum est nomen eius, & scitur quod homo sit; & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem.

TVnc pessimè re vera nobiscum agitur, cum dissentientibus inter se cogitationibus ac curis, quasi fluctibus agitatur mens nostra; idque vel inprimis cupiditatum flatu sæuissimo vsu venit; nullum est enim perfugium, quo placidè consistat animus, si vel paululum procellis cupiditatum abripiatur. Si tamen vera sunt, quæ de illa sapientes viri docuerunt, Nec verò vorago tãta, diuitijs dumtaxat ac opibus ad pernitiem nostram effoditur, sed etiam sciẽtiæ studio, cui nullus adhibeatur modus. Atque id sapiens conuellere modo contendit, vt vtraque cupiditate sublata, quietis portum teneamus. Quid enim turbulentius? quid infestius? quam ea quærere quæ longè absunt ab intelligentia nostra? Rectè vetus prouerbium. Quæ supra nos nihil ad nos. Itemq; Paulus Apost. Non plus sapere quam oportet sapere. A qua quidem norma, tum profectò desciscimus, cum futurarum rerũ euentus dubios, aut fortunæ, aut causarum ex æternitate pẽdentium fato; aut naturæ necessitati tribuimus, eorumque scientiam, inuestigãdis ijs, sitam esse, in animum inducimus. Opus profectò inanissimum. Nam si tanta est in rebus clarissimis sapientum dissensio; quid in obscurioribus rebus ab ipsaque natura inuolutis explorati potest esse ac firmi? Quid

Rom.c.12

sole

ſole lucidius, aut aſpectabilius eſſe poteſt? à quo lux omnis velut à fonte ducitur, ac ferè omnia, vt cerni poſsint, colluſtrantur? Atqui hic ipſe non modo quid ſit, ſed ne quantus quidem ſit, Philoſophorum cõmuni ſententia definitum eſt. Pedalis videtur Epicuro. Mathematicis duo deuiginti parti bus maior quam terra. Nonnulli centum & ſexaginta partibus ſolem à terra ſuperari amentiſsimè ſentiunt: ac pleriſque alijs in rebus infinitas concertationum plenas diſputationes inuenies. Deſinamus ergo quæ diuino tãtum iudicio perſpecta ſunt inueſtigare, atq; adeò, cum de hominibus agi tur, quorum mens neque aſtris, neque fato, neque naturę ne ceſſitate ducitur; ſed nutu Dei & arbitratu proprio regitur, itaque ſi homines ſe præſtare velint: id ſtudij abijciendum eſt. illud tantummodo nobis firmiſsimè conſtituatur: quod is qui hanc lucẽ eſt ingreſſurus, vt hominis nomen ſuſcipiet: ita hominum imbecillitatẽ habebit. Quare Vates, Aegyptus homo, & non Deus: & equi eius caro, & non ſpiritus. Ex quo efficitur vt ſi prauè aget, vltionem diuinam effugere nõ poſſit, neque in futuro iudicio diſceptare cum illo. Itaque contendendi obſcuris de rebus ſtudium, idcirco contemnere omni ope debemus, quoniam nihil ibi eſt ſolidi, nihil explorati, nihil veri; ſed incerta ſenſa, ſermonis, & loquendi profluentia procax, certiſsimum ſtultitiæ argumentum. Etenim eò veſanię peruenit, vt ſumma cum miſeria, & pertinacia, tur piſsimis altercationibus, maximiſque contentionibus confligetur; omniaq; ibi inconſtanter, nequiterq; diſputentur. Quod fugiendum monet Apoſtolus dicens. Seruum Dei non oportet litigare. Item que ſtultas, ac futiles quæſtiones deuita; ad nihil enim valent, niſi ad ſubuerſionem audientium.

Eſa c. 31.

Thi. c. 1.

Tit. c. 3.

2 Thi. c. 2

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere; cum ignoret, quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum peregrinationis, & tempore quod velut vmbra prætèrijt; aut quis ei poterit indicare quid poſt eum futurum ſit ſub ſole?

MALORVM omnium quibus in hac miſera rerũ luce perdite premimur cauſam ſi quiſpiã explorauerit; inueniet profectò intemperãs ſciendi fuiſſe deſiderium. Sic namq; calumniator ille Diabolus, ad Dei negligenda præcepta primos parẽtes allexit. Eritis, inquiẽs, ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Nam dubio procul rerum accuratè noſcere cauſas, vim, & naturas, animo, & intelligentia conſequi; non modo res eſt magnifica, & expetẽda, ſed verè diuina. Siquidem cognitione, vt iucundiſsimo pabulo reficitur ſuauiſsimè animus. Quocirca cum non defuiſſent aliqui, qui in rerum inquiſitione ſummum bonum locauiſſent: ſapiens eos accuratiſsima ratione refellit. Nam homines cum ſimus fragili, & imbecilla carne quaſi domo incluſi, atque vt peregrini, alienam Regionem magno cum dedecore, & turpitudine incolamus: ac certe hominũ erat cœleſte domicilium, propria, germanaque ſedes, tenebroſa autem, & cœli plurimis iniurijs infecta hæc regio, ratione carẽtibus animantibus, fuit in vſum à ſummo architecto effecta) non debemus altiora quærere, quęque nullo vſui ad rectum vitæ genus ſunt, perueſtigare. Accedit etiam quod hæc ipſa vita ſatis eſt & breuis, & vmbratilis, & numero circumcluſa, vt vmbræ imaginem aptiſsimè, & apertiſsimè pręſeferat. Ex quibus dilucidè colligitur, quã importunè, & nequiter ſe gerunt ij, qui opportunis remedijs reiectis leuandorum malorum, quæ eorum intelligentiam ſuperant audaciſsimè quęrunt. Non igitur in talibus eſt hoc tempore hominum cura conferenda, nam non ſolum id vanum erit, & nullũ ad vſum

Geneſ. c. 3

Eccl. c. 3.

acco-

accomodatum; sed ęrumnis etiam plenum, & miserijsq; implicatum. Egit quidem hoc lucifer, verum naturæ præstantia, & fulgentissimo scientiarum decore aditum sibi patere, existimare poterat. Quid autem necesse est homini? hoc est: cuius natura est, vt sit putredo, & filius vermis; cui etiam dicitur quid superbis terra, & cinis? atque quem fugiunt, ea quoque quæ ob oculos versantur: vt extremę sit temeritatis argumentum, maiora se quærere; idque eò turpius, quod ignorat, quid bonū, & quid malum, quid asciscendum, quid dimittendum, quorū est scientia ad vitam cum trāquillitate degendā, oppido necessaria. Docet enim qua ratione cū adolescētibus, qua cum senibus, quo modo cum Dominis, cum subiectis, & id genus alia, se gerat. Hæc curemus, hæc euoluamus. Quæ autem magis recondita, & abstrusa sunt subtilius exquirere nihil oportet, cū meminerimus illius vocis. Scrutator maiestatis opprimetur à gloria. Cumq; vt hoc loco dicitur, nulla sit nobis in hoc seculo firma Ciuitas, sed peregrinemur à Domino, præstabilius vtique, atq; adeò necessarium foret, viam noscere cælestis Domicilij: quodque paucissimo nostrorum dierum numero expleto, hinc, vt de statione quadam, summi Regis iussu migrandum est. Huc enim pertinet illud Iob. Homo natus de muliere breui viuēs tempore, repletur multis miserijs. Item Dauid. Ecce mensurabiles posuisti dies meos. Pulcherrimè autem ad extremum ponitur. Aut quis poterit ei indicare &c. Quippe cum eò sciēdi studium, vt in extremū se refert, scire futura scilicet, quod nō modo vanum est, sed etiam temerarium. Etenim eius rei cognitio humano quidem ingenio comparari nō potest; sed ipsius possessio propria Dei est, qui in æternitatis arce locatus, consequentis temporis, & præteriti fluxum non nouit; mortalibus verò quicquid hac de re verum elucet, plurima est aliarum rerum falsitate obductum, vt veri id modicum casu, & fortuna repertum sit, non quidem cuiusquam ingenio excogitatum.

Iob. c. 25.

Eccl. c. 10
Heb. c. 13

Cap. 13.

Psal. 39.

Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa, & dies mortis die Natiuitatis.

DVæ sunt res quæ corporis nostri temperamentum acerbissimè diuexant: dolor & fœtor. Hinc illud: dolor, & fœtor exterminant homines; nam earũ altera cor excruciat, altera verò affert pernitiem cerebro: in quibus quidem præcipuum est domicilium vitæ. Itaque vnguentum habendum est nõ mediocri loco, quod eius beneficio purgatur cerebrũ, animus exhilaratur, vitæ spiritus suauiter effertur, pernitiosæque ac longè, latèque grassantes labes, & pestilentiæ abiguntur; totaque ipsa natura excitatur, atque reficitur. Ac eare diuersis etiam nominibus appellatur: vt oleum lætitiæ, quoniam mærorem pellit ex animis, & eius generis nomina alia, quæ longum esset narrare. Iam verò eius quidem eximia laus inde penditur: quod antiquitus in pretiosarum rerum numero habebatur, vt elegãter satis, & copiosè Plinius in naturali Hystoria patefecit. Dauid etiam communis vitæ præstantiam vnguenti collatione ostendit: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, sicut vnguentum &c. Sic planè res pretiosissima & præstantissima est bonum nomen; quodque multis partibus delicatissima etiã antecedit vnguenta. Etenim hæc quidem cerebro solatium afferunt, illud rationis participem animum reficit; hæc putridos humores ne lædant, arcent; illud maleuolentissimorum hominum inuidentiam ne noceat, frangit. Vt ex ijs omnibus non aliena, sed congruens comparatio videatur. Quocirca & vulgo vsurpatum est: vt perditi homines, infamiaq; flagrantes; malè olere dicamus. Accedit quoque quod vti vnguentum absentes etiam interuallo aliquo, sua fragrantia demulcet: pari ratione concelebrata hominis bona existimatio, miræ est iucunditatis; atque longè etiam positos; qui qui de facie moratum hominem, non nouerunt, in sui cultum & obseruantiam impellit. Planum id fecit Regina saba, quæ à finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis; & amplissima

Psal. 44.

Psal. 132.

3. Reg. 10.

ſima detulit munera. Quid faciet ſolida virtus: cum eius ſo lum odor ſit tanti? Poſtremò vt vnguentum non modo cerebrum recreat, ſed prauos etiam humores abigit, cœlumq; graue leñijt. Ita nominis gloria, tibi quidem parit laudem, malorum autem conſuetudinem, & commercium repellit, dum eo timore tenentur ij, ne proborum collatione acrius morum improbitate criminentur. Elaboremus itaque morum proba inſtitutione, ac actione virtutis, famæ ſplendorē adipiſci. Nam hominum omnis cognitio, cum proficiſcatur à rebus; fieri non poteſt, vt benè moratus homo laudem ex probitate non ferat. Quę quidem hominum præ vnguentis, quorum in vſu nulla fœlicitas ineſt, gratior eſſe debet. Sequitur & dies mortis die natiuitatis. Sententiæ huius ratio conſentanea ex beati Iob teſtimonio pendet. Militia eſt vita hominis ſuper terram. Quę ſanè cum veritate conſentire, ex malis, & miſerijs homini hac tetra rerum luce imminētibus comprobatur. E Paradiſi enim delitijs primorum parentum noxa in hunc mundum tamquam in carcerē coniecti ſumus. Vndè Pſalmus. Educ de cuſtodia animam meam &c. tamquam in exilium eiecti, quod deplorabat Dauid. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Tamquam in paleſtra iniquo certamine pugnaturi educti. Quod ſpectans beatus Petrus. Sobrij (inquit) eſtote, & vigilate quia aduerſarius veſter diabolus &c. Quem ſecutus beatus Paulus, homines omnes perindè ac milites inſtruens. Sumite (inquit) armaturam Dei vt poſſitis ſtare in die malo. In carcerem itaque in exilium, in paleſtram ortus noſtri dies detrudit, è carcere, ex exilio, ex paleſtra obitus noſtri tēpus extrudit. Quàm igitur præſtat hoc illo? quamque optabiliter iter illud ſuſcipiendum eſt, quo confecto nulla reliqua cura, nulla ſolicitudo futura eſt? Et quidem quæ carceribus mancipatos, exilio afflictos, paleſtræ diſcrimine ſolicitatos, manent mala, nec non maiora; hoc in ſeculo experturos nos, ipſa periclitatione ſentimus. Quorum quidē miſeriam, ac labem proſequerer ego, ni breuitatis ratio, abſterreret. Quid enim carcere moleſtius? quid eiuſmodi acerbiſſimo fœtore grauius? quid

Cap. 7.

Pſal. 141.

1. Petr. c. 5

Epheſ. c. 6.

pœnę imponendæ metu durius? quàm miserè abscessus à Patria; accessus ad exteras nationes animum exest, atque conficit? Quãta denique solicitudo? quãta anxietas? ex palestrę iniquo certamine pugnęque dubio exitu certissimè manat? Nam dubio procul omnia dũ in hac luce sumus misera sunt, & funesta. Tellus spinas ꝓfert, aqua obruit, aer inficit, ignis absumit, & id genus incõmoda innumera; quæ hominis statum conuellunt prorsus, atque perdunt; cum tamen multa, & magna cæteris animantibus ex eis nascantur commoda. Hostes etiam habemus omni instructos arte, vniuersaq; crudelitate grassantes; quin & sensus ipsi cognitionis, & vitæ, tamquam instrumẽta à natura nobis tributi, prælia excitant infestissima. Vt cum beato Apostolo iure exclamandum sit. Rom. c. 7. Infœlix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Non igitur nisi eis, quorum nulla post hanc vitam spes est, mors omnium terribilium extremum videtur; nam verè qui id expenderit, certò existimabit. Animos cum hinc excesserint carcere terminato, exilio, atque palestra finita, in cœlum tamquam in proprium domicilium, & fulgentissimũ & placidissimum, euolare. Atque hoc illud est. Cupio dissolui, & esse cum Christo.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum Conuiuij, in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurum sit.

QVis nesciat quantæ sit iucunditatis hominibus, in lautissimis versari conuiuijs? ibique suauissimis frui epulis, optimè instructis mensis, rorãtibus, & frequẽtibus vti poculis? quę quidẽ voluptas mirificè ex conuiuantiũ sermonibus lepidis, assistentiũ opportunis salibus, musicæ tẽperamẽtis exquisitissimis, amplificatur, & augetur. Nec planè vitæ coniunctionem, magnoperè, optabilem, diligere is existimari debet; qui tales accubationes abhorruerit epularum. Cicerone enim teste idcirco vetustiores conuiuia tales epulas appellarunt, quoniam vitæ coniunctionem habent. Ex quo effici-

efficitur, vt re non ita acrius perpensa, in eius generis delitijs fœlicitas possit constitui. Veruntamen magno in errore is versaretur, qui hanc imbuerit opinionem. Primum quidem quod rerum talium cupidis odiosum, & molestum est ijs carere, satiatis autem & expletis iucundius carere, quam frui; at non caret is, qui non desiderat; ergo desiderare iucundius est quam frui. Ea itaque res quæ non habita molestam cupiditatem inuehit, acquisita autem odiosam inducit satietatẽ, profectò admodum longè est à fœlicitatis ratione iudicanda. Accedit etiam quod plurima inde nascuntur mala: turpissima vinolentia, fœdissima cruditas, horribilia insomnia, totus denique animus à recta ratione exorbitat. Hinc Patriç proditiones, rerum publicarũ euersiones, cum hostibus clandestina colloquia, oriri videmus; Ac demum tam pestiferũ, tam detestabile vitium, extinguit animi lumen omne, nullumque habet cum virtute commercium. Quocirca & sacrę literæ eiusmodi flagitia persequentes dicunt. Veh qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino estuetis, cithara, & lyra, & tympanum, & tybia, & vinum in conuiuijs vestris, & opus Domini nõ respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Verumenimuerò domus, quæ ob charissimi interitum, luctu completa est, vtitur magna frugalitate, caducarum rerum ibi amor elanguescit, totius cupiditatis, quę Platone authore, esca malorum est, suauitas ne flocci quidem penditur; atque ob oculos mortui cadauer versans, iam hinc migrandum esse, animum admonet: quodque è corpore egressi ad mortem, vt ad portum appellemus; in quem quãquam reflãtibus ventis paulo tardius perferamur, fiet tandem, vt eodem vel inuiti reijciamur. Statutũ est enim hominibus semel mori. Quod quidem tantò est ad virtutẽ vsui, vt prorsus is amentissimus sit iudicandus, qui non præstabilius esse asserit, ædes ingredi luctu plenas, quàm conuiuio eructantes. Nam quis ibi de cunctorum hominum communi & necessario imminẽtique obitu non cogitat? fore quoque vt iustissimo examine, tam turpitudinis commissæ, quam honestatis prætermissæ, pre-

Esa. c. 5.

Hebr c. 9.

mia æqua hominibus rependentur. Ex quoquidem fiet, vt omnium rerum humanarum despicientia comparetur, virtutis species adametur, magnumq; ad beatam vitam præsidiũ omni ægritudine abiecta, acquiratur. libet igitur contra delicatos, nihilque quod à voluptate absit, cogitatione nostra dignum putãtes exclamare. O miseram hominum conditionem, quanto inflamur errore, in ea re quæ nominibus tantis per sese commendatur. Christiana Pietas hæc est.

Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

RIsus æque ac ira magnum ad commodum est à natura tributus: ex quo efficitur, vt modus condecens si accedat; ambo dubio procul à peccati pernitie longè absint. At si risus modum rationemque nesciat, ac potius insolens profususq; fuerit, exitium animo, corpori labem sine dubio affert. Spiritum namque & calorem tam vehementer è corde ad summa corporis effudit, dissipatque, vt id caloris beneficio destitutũ, vel sinope vel morte repẽtina corruat; quod nonnullis contingisse memoriæ proditũ est. Cum verò suis limitibus circumscriptus temperatur, natiuum suscitat calorem, spiritus lætitia diffudit, sanguinem humoresque extenuat, bonaque corporis valetudo comparatur. Hinc alibi. Cor exhilarãs ætatem floridam facit. Ira autem mortalibus, quo contraria quæq;, atq; inuisa naturæ depellantur, animis nostris ingenerata est; quæ quidem si terminis suis coerceatur: vires adijcit, animum stabilit, spiritus caloremque exuscitat; neque eius iniuria excidisse quempiam è vita, monumenta loquuntur; vt hoc vno, risu præstare ambigendũ non sit; Quamquam fieri potest vt cum plus æquo animus inardescit: inflammatus calor in omnia efferatur, totusque homo cæco impetu & incõsultè feratur. Quod quidem malum valentioribus tantum, calorisque vi completis accidere plerumque potest. Verumenimuero his verbis non intelligitur eam iram commendari, quę talem affert perturbationẽ ani-

Prouerb. cap. 17.

mis; quæque sacris in literis assidue male audit; Ira enim viri (ait) Iacobus iustitiã Dei non operatur. Item Saluator, omnis qui irascitur, reus erit iudicio. Sed modo ea est huic voci, ira, vis atque notio subiecta; vt debitam flagitiorum, & criminum animaduersionem, & obiurgationẽ notet. Quę quidem meliori est loco habenda, quàm voluptuaria illa gestiẽtis animi elatio, quá blandis sermonibus, subdola laude detrudimur ad vitia. Cuius sanè implicabantur labe, qui dicebant: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, cesset sanctus Israel ex ore vestro. Quòd pręsagitione quadam nostris his temporibus futurum Apostolus monuit. Coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus. Quod sanè malũ, & virtutum semina labefactat, & vitiorum incitamẽta adhibet. Hinc vates: Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Iam vero salutaris illa seueritas, vt ignauibus molesta sit & iniucunda; fructum affert (vt verbis vtar Apostoli) pacatissimum exercitatis iustitiæ: quoniam ad informationem nostri ex vero dilectionis fonte proficiscitur. Atque huc spectat ea sententia: Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Itemque infra. Melius est à sapiẽte corripi, quã stultorum adulatione decipi. Siquidem dum blãdos sermones auribus nostris inferunt, nostramque intemperanti risu aucupari gratiam curant, acerbissimum animo vulnus infligunt. Errat is igitur, qui adulatium assentationibus lepidis quicquam se præstabilius habere putat, quam ille, cui ad emendationem obiurgatio honesta non deest.

Epist. Iacob. c. 1. Mat. c. 5. Esa. c. 30. 2. Thi. c. 4. Esa. c. 3. Heb. c. 12. Prouerb. cap. 27.

Cor sapientis vbi tristitia, cor stultorum vbi lætitia.

PRomiscue quidem, & stultis & sapientibus, nostri ipsorum cura à Parẽte Natura commissa est; quã eos & commoda secuturos & reiecturos cõtraria certo nouimus. Quocirca si mali nihil in tristitia adhibito modo demostremus: fiet profecto, vt neque sapiens declinet ab ea, neque Natura. Et quidem homo ad sentientem vim quam cæteris cum animan-

mantibus habet communem, mentem plus habet; ex qua potius, quam ex titillatione sẽsus, quæ, naturæ commoda sunt, quæ pestifera, metietur. Quo certè munere stulto sapientem præstare ratio certa conuincit. Ille enim ad ea tantum quæ adsunt, quæque præsentia sunt adiungit animum: hic autem rerum causas, & antegressiones, accuratius excutit, & peruestigat. Cumque hoc in mundo, Naturæ imbecillitate, vindicationeque diuina, molestijs & calamitatibus multis homines omnes subiacere perspexerit, ex quibus miserrimi ploratus excitantur, acerbissimęque funduntur lamentationes; sapiens perinde ac id iure fiat, socium se eorum libentissimè exhibebit. Scriptum est enim. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Extat namque euidens in hoc inter stultũ & sapientem discrimen: vt ille futura ne flocci quidem ducat, luxui & insolentiori lætitię plus nimio indulgeat, ducatque in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendat. Quibus ab erroribus magnopere sapienti cauendum est; ne scilicet exilium lacrimis reuera prosequendum, patrium putet solum exultatione completum.

Matt. c. 5.

Iob. c. 21.

Melius est à sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi; quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti, sed & hoc vanitas.

NOminis celebritas adeo est hominibus chara grataque inprimis; vt non defuerint aliqui, qui in hac ipsa fœlicitatem locarint, Neque certè id veritatis specie prorsus caret. cum namque nomina rerum rationes & vires explicẽt atq; referant, fit vt res ipsas quasi afferant & adducant, ac ea re qui vt fœlices ab assentatoribus prædicantur, vt in seipsis quam falsum id sit, existimarẽ possint; tamen nõ est, quin prę clarissimum fœlicitatis momentum habere se persuasum nõ habeant? Atqui si accuratius rei huius rationem exquirat, longè esse rem aliter iudicabit. Etenim vt auricalcum re nõ bene perspecta, auri speciem pręseferat animumque alliciat; tandem fallacia detracta, errore abductum se fuisse, dolori

erit.

erit. Non secus, licet prauorum assentatione hominum, virtutis nos esse cultores, quamquam vitijs squalētes, existimemus: nihilominus adhibita in cōsilium ratione: duplici nos malo implicatos videbimus. Primo quidem quód adulationis lenocinio altius ac fœdius vitijs inseruimus. Deinde circumuenti, ab importunissimis illis hominibus inuenimur. Neq; enim latet eos improbitatis nota inurendos esse, quos commodi alicuius gratia, laudant vt bonos. Obiurgatio verò quæ à sapiēte proficiscitur, pluribus est referta bonis, nec vulgaribus. In veritatis nos luce constituit, falsam detrahit imaginem vitiorum, quorum in odium & inuidiā adducit, quo quidem quid salubrius, optatiusue hominibus euenire potest? siquidem repertæ veritatis suaui pabulo fruuntur, & malorum quoq; depulsione potiuntur. Quare Psalmus corripiet me iustus (inquit) & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum; atque huc id pertinet. Fili si te lactauerint peccatores ne acquiescas eis. Itaque satis apertum est quantum sapientis correptio assentationem antecellat. Nec refert minimum, quod ea est anteferēda correptio; quæ a sapiente adhibetur; siquidem is vnus eiusdem adhibendæ rationem nouit, obseruat tempus, locum personamque animaduertit; quibus profectò prætermissis, nullus ex obiurgatione capitur fructus. Hinc poeta.

Psal. 140.

Prouer. 1.

Quinetiam augeas animum vitijs irritesque negando,
Si non temporibus aggrediare suis.

Iam verò animaduertamus licet, quam efficax sit ratio, quæ ad stulti immoderatum risum vitandum monet. Spinę enim fragore ac strepitu absono satis, & iniucundo sub olla crepitant; ita stultus in risu exaltat vocem suam, contrahitur in rugas vultus, oculi indecore franguntur, os hiatur, totusque ipse homo, à modestiæ temperamento descisit. Quod sanè vt hominem capacem rationis dedecet: ita vanitas est, quod eius aucupare gratiam verbis assentator studet, animo autem stultissimum eum esse cogitat atque sentit.

Eccl. c.21

Calumnia conturbat sapientem & perdet robur cordis eius.

MIrum in modum Naturæ vis extrema quæque refugit, & abhorret. Eius namq; salus in temperamento, rerumque medio sita est. Etenim exuperantiæ morbos excitant, perturbationes afferunt animo, mentis statum conuellunt. Atque hinc est, quod sententia priore, oriri nobis incõmoda plurima, ex assentatione declarauit: modo quæ ex calumnia cõtingant mala, explanat. At vero calumnia & assentatio extrema sunt, sibique magnopere aduersantur, illa infami vitiorum nota obnubilat virtutes, hæc bonorum loco haberi flagitia persuadet. itaque merito molestias ex calumnia proficisci sapiẽtibus modo asserit. Etenim eius omne studium in eo præcipue versatur, vt virtutem vitæque genus rectum atq; honestum persequatur, nullis mollescat delitijs, nullis exagitetur molestijs, recti tantum amore ducatur, pręterea nullius; Quamquam non ignoret, laudibus probos homines afficiendos, quod præmij nihil aliud possunt mortales, præter quam honorem tribuere virtuti: cuius se studiosum adhibens, consentaneum iustitiæ censet, laudis ornamẽta referre. Itaque si homines adsint inquinatissimi, quique non modo meritam reddant gratiam atque laudem, sed vt planum eum flagitiosumque criminentur; Quid ni angatur; conficiaturque mœrore? Ex quo sanè animi tota vis frangitur, contrahuntur vires, mentis ad virtutem ardor restinguitur, incenditur lenitudo animi, recti studium deseritur. Iacẽt namque semper ea quæ apud quosque improbantur. Atq; eò spectat quod incolumen se seruari ab his vates precabatur dicẽns. Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa. Cuius certè mali pernities adeo perditis his temporibus grassatur, vt plane tuta esse vita sapientis nõ possit: licet mederi huic malo magistratus omni studio deberent, acerbaque in maleuolentissimos adhibere supplicia, Dauidem secuti; qui vel in eo ipso egregias se præstare Regis partes putauit dicens. Detrahẽtem secreto proximo suo

Psal. 119.

Psal. 100.

hunc

hunc persequebar. Eleganter autem calumnia vexari Sapientes asserit, non stultos: ij namque magno excelsoq; animo præditi, virtutis, ac recti speciem antiquissimam habent. At illi voluptatibus saluis, aliarum rerum iacturam haud nouerunt. Ad extremum humanarum rerum hic summa miseria, & inanitas aperitur: nam aut assentatione mollimur, aut criminationibus falsis agitamur. Itaque in solo Deo quietis tranquillitatisq; tutissimum nobis perfugium constituitur.

Melior est finis orationis quam principium.

NOn desunt persuasiones efficaces, quibus tũ ad calumnias perferendas, tum ad reiciendas assentationes fallaces, nos ipsos instituamus. Affert autem huic rei commodi non minimum, huius sententiæ germana explicatio: quæq; libri scopo consentiat. Verborum verò sensus eò spectat. vt causam ob quam nec assentatione molliri, nec calumnijs cõfici debeamus, exponat. Nam quamquam prima specie virium plurimum, & momenti has duas res continere videantur, temporis tamen decursu, sic debilitantur, vt tandem corruant, & euertantur. Quis enim nesciat quam multi fallaces homines, pietatis religionisque specie instructi, laudibus ornantur atque ab assentatoribus cœlum vsque feruntur: præclarum vt sit, & præstantissimũ, eiusmodi celebrationis principium? Verumenimuero rerum veritate sese temporis beneficio, velit nolit, prodente, nihil enim opertum quod non prodatur, neque absconditum quod ignoretur, fit vt gaudiũ ex falsa nominis celebratione susceptũ, vana detracta specie, magnam in turpitudinem desinat, sacris oraculis dicentibus. Hoc ab initio cognoui, quod gaudium hypocritæ ad instar puncti, si ascenderit vsque ad Cœlum superbia eius & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Quo in loco quidam sapiens. In fine (inquit) perdetur, qui in principio florere videbatur. At pietatis cultores, seseque ab huius mundi dilectione seuocantes, sapientiæque studio omni contentione seruiẽtes; non secus ac nebulones

Luc. c. 12.

Iob. c. 8.

ignaui,planiq; homines ducuntur ab inquinatissimis obtre-ctatoribus. Nec verò carere id primò veritatis imagine videtur: propterea quod,ij plurima reijciunt cõmoda,præclara dimittũt munera, fœdaq; obiecta crimina nullo iudicio persequntur,quod certè deprauato ex cõsilio animi,peruersęq; mentis institutione proficisci,existimari possit. Vt instructa calũnia cõtra illos lateat plerũq;& inuoluta remaneat. Verũ fiet tandem,vt detracto fuco,technaq; euoluta,assentatione desinẽte,miserrimè clamabũt hypocrite. date nobis de oleo vestro quia lampades nostræ extinguũtur. At iusti humanas laudes ne flocci quidẽ ducentes,ornatis lampadibus charissimo se sponso obuiã exhibebunt,iucũdissimã eam exauditurĩ vocẽ. Venite benedicti patris mei &c. Quã ergo præstat orationis huius finis,quo ęternis laudibus efferemur,principio, quo fucatis assentationibus decipimur? Est namque mundi progressio quasi composita quædam oratio, cuius quidem principium, perditorum est hominum adulatio, finis verò optatissima diuinæ approbationis declaratio. Nec me latet plerósq; de pijs precibus id interpretatos: quod ad eas quidem principio languidi accedimus, ac frigidi; at ijs constanter bonoque animo vacantes, tandem diuini numinis suauitate perfundimur,pietatisque incendimur calore. Quæ quidem explicatio vt pia sit:grecę dictioni minus congruit; etenim vocabulum habetur non pias preces, sed sermonem significans. Aiunt enim λογον, non, προσευχὴν. Itaque de precibus conuenienter intelligi minimè potest. Verum enim latini nominis varia significatio id erroris inuexit. Postremo habent nonnulla exemplaria. Melior est finis rei &c. Quo ad monemur,nihil temerè, ac finis pręscriptione posthabita,aggrediendũ, quãdo finis ratio,actionũ nostrarũ delectũ affert.

Mat.c.25.

Mat.c.25.

Melior est patiens arrogante.

QVamquam improborum male parta celebratio nominis,fit in huius orationis fine,hoc est,in extremo iudicio,summa cum eorũ turpitudine,detegenda: conficit,tamẽ atq; acerbissimè pũgit bonorũ animos, diutina eius rei expectatio;

ctatio; vt planè magnopere tollerãtia, ne animo frangamur, mens nostra munienda sit. Atq; huc pertinet, Dauidis, quasi expostulatio dicẽtis: Dixit.n. in corde suo oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finẽ. Ex quo efficitur, vt mi- ris sint laudibus ornandi, atque adeò maioribus, ij, qui pro- lata iudicia perferunt ęquo animo, præ arrogantibus, quiq; meritos honestatis honores, assentatorum delatione vendi- cãt sibi. Quod certè arrogantiæ vitio proprium est & gẽtile. Verũenimuero vt sit explicatio præsens, literę consentanea satis atq; consentiẽs: inepta tamẽ & absona videri quibusdã potest, patiẽtię, & arrogantię cõparatio. Siquidẽ quę diuerso genere continẽtur, accomodatè cõparari non possunt. Quis vero neget nec arrogantẽ patiẽtię virtutẽ colere, nec qui eã coluerit, arrogãtię vitio maculari? At .n. cedimus, inter hęc ipsa perfectã cõparationẽ non esse: quod cõmuni genere va cant: nihil autẽ prohibet quin quadã ex parte conferantur, Philosophorũ præscribente sententia. Contrariorũ eadẽ est sententia, & par sensus. At patiẽs is est, qui suę existimationis iacturã, queq; aduersa sunt, tollerãter fert & sedatè; omnẽq; vltionis rationẽ ad eũ refert qui dicit. Mihi vindictã & ego re tribuã. Arrogãtes vero immeritas laudes, nullo iure sibi ven dicant, acerbissima in hostes exercẽt odia, immaniaq; si que- unt supplicia repetũt. Vt sic tãquã contraria iure optimo in terse cõparentur. Quis verò dubitet eũ preclarissimè coronã dũ, qui ob Dei amorẽ aduersis rebus concutitur, nec tamen frãgitur? Cũ sacrę literę dicãt. Siquid patimini propter iusti tiã beati? Iã verò hòc tã excelsum virũ potiori loco habẽdũ hec verba docẽt: quod patientię quasi ancora fixus, prauorũ hominũ aduersarumq; rerum flatu non mouetur. Arrogans vero animi imbecillitate, mollis & effeminatus effectus, qua uis minima rerum malarum ingruente procella, miserè exa gitatur, atque petulanter admodum alios carpit.

Psal. 9.

Rom. c. 12

1. Petr. c. 3

Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.

PAtet ex superioribus, quam minimum ad fœlicitatem largiendã momenti habeat, arrogantia & libera carpẽdi alios

alios licentia. At modo de ira ſermo exoritur,quæ ex aduerſo fermè patientiæ cōſtituitur. Hæc verò nihil eſt aliud (modum ſi neſciat,atque ſi fuerit incitatior) quam defectio à tota mente, & ratione,vt hominem ipſum ad amentiam turpiſſimè traducat. Quocirca nihil eſt adeò durum,nihil tam immane & dirum, quod non ab ea certiſſimè proficiſcatur, ſi effrenis erit, & pręceps. Sin autem ſalutari aliquo remedio vis eis initio reſtinguatur: iam conſilio ſuccedente, beneficio temporis, tetras actiones, diraque facinora aggredi nos non ſinit. Cuius quidem rei aptiſſimum ex ignè exemplum ducitur. Eſt enim ira ſanguinis quidam calor. Itaq; vt ignis ſi initio reprimatur penè nullo negotio vis eius edax opprimitur. Verum ſi incrementum ſumpſerit,vix,aut ne vix quidem extingui poterit, ſed erumpens flamma ſerpit longius, & quæque proxima demolitur. Ita ſi ira, temeritate & concitatione effreni, vacet:atque adeo temporis interpoſita mora furendi vis cohibeatur, incommoda multa vitãtur. Quare ſapientes non penitus tollendam iram cenſent: quod ea plerumque ſalutaris eſt: ſed præcipitem rationem abiiciendam: vt non animi perturbatione excitetur, ſed ſuſcipiatur conſilio. Hinc vates ait. Tabeſcere me fecit zelus meus. At vero ſtultitiæ certiſſima nota erit,nullo cōſilio iræ furijs agitari; quod præcauens Iacobus aiebat.Sit homo tardus ad loquendum & tardus ad iram. Itaque vt concludam, certum eſt iræ remedium, interuallum temporis conſtituere tale,vt celeritate motus excluſa,ratio & conſilium ſuccedat.Quamquam hac ſententia,id primò ſignificare dico. Vt longè ſint a fœlicitate, illi,qui aut ſumpſiſſe ſe iactãt, aut ſumere de aduerſarijs pœnas inſolenter conſtituunt.

Pſal. 118.

Iacob. 1.

Ne dicas quid putas cauſæ eſt,quod priora tempora meliora fuere quam nunc.Stulta eſt enim huiuſmodi interrogatio.

COmmunis eſt ſententia hominibus omnibus,de iniuria temporum proximorum. in primis autem habent eam tritam garruli ſenes. Hinc illud. Garrulus ſenex ſua ſemper tempora laudat. Cuius quidem erroris cauſam, quantum poſ-

possum idoneam satis in medium adducam: vt eiusmodi nu gas fugiamus. Interest profectò plurimum excipias rem aliquam auditu, literarumue monumentis, an aspectu & propria experientia. Afficitur namque acrius, perturbaturque vehemētius, humanus animus, cum temporum calamitates, rerumq; mutationes ipso periculo senserit, quam si easdem monumentis complectetur, vel auribus. Hinc maro calami tates Troiæ ex persona Eneæ commemorans dixit. Quæq; ipse miserrima vidi & quorum pars magna fui. Itaque cum aliorum sermone, monumentisue literarum mala & incommoda preteritorum temporum, cum ijs, quę præsentia sunt, quæque ipsa periclitatione sentimus, conferuntur: cui est du bium grauiora præ illis hæc videri? Accedit etiam id accomodatum satis ad præsentem causam: quod aduersi casus, secundæue fortunæ, ac hominum mores, acciderunt eis, pue ritiæ vel adolescentiæ tempore; ac tunc pro ætatis ratione, quæ & quanta essent iudicauerunt. Aetate vero ingrauescē te exacuuntur sensus, iudicij ratio commutatur, animiq; pro pensiones ac motus longè aliter nos afficiunt, atque in iuuētute. Hinc vetus prouerbium. Sua quæque fert ætas. Quare si iudicentur senectutis sensu quæ puerili Florentiue ætate contingerunt: quidni semper deteriora existimentur? à qua quidem sententia senes desisterent, si iuuenili quo aliquādo vsi sunt sensu, ad iudicium vterentur. fixum sit ergo temporum iniquitatem ex hominum miseria & prauitate pēdere; idq; omni euo cōmune fuit: neq; enim esse potest, vt à fortu næ ictibus & improborum calumnijs libera sit hominum vi ta quo ad vsque crasso hoc concretoque cœlo fruimur: Hæ ret autem hæc sentētia superioribus quod in rebus istis mor talibus satis molestiæ & inanitatis reperiens, fieri poterat, vt homines prauo sensu temporibus hæc ipsa attribuerent, nō rebus: quo nihil potest esse aut, turpius, aut absurdius. Cœlos enim eorumque orbes certo & constanti cursu optimus Deus in signa & tempora, & dies, & Annos, temperauit: vt perpetua eorum conuersione nihil mobilius, mobilitate illa nihil commodius negotijs humanis videri possit.

Vtilior est sapientia cum diuitijs,& magis prodest videntibus solem: sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc enim plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

IAm aliàs explicatum fuit, ea quidem ratione, opes nihil commodi nihil solidi continere: si vt nostræ fœlicitatis extremum bonum conquiratur. Verum si ad nostræ, alienęque necessitatis miseriam subleuandam, ijs vtamur: plurimū certè adiumentum præstant, quod sanè tum procul dubio contingit, cum sapientiæ splendor rerumque cognitio accedit: quemadmodum superioribus verbis aperitur. Primus namque Parens noster in amplissimo dignitatis gradu constitutus, licet ad vires reficiendas, cibum adhibere necesse habuisset: non tamen vestibus ad tegumentum corporis opus fuisset, non tecto ad perfugium, nō armis ad defensionē, non remedijs ad valetudinem: quorum quidem præsidio & ipse postea quam corruit, & nos eius crimine ad hanc naturæ imbecillitatem deiecti magnopere indigemus. Quocirca cum ijs tantis incommodis opes sint magno vsui: quod sine ipsis vita aut ad pernitiem prorsus caderet, aut iniucunda redderetur: exploratum satis est, quomodo vtilior sit sapientia cum diuitijs. Quid enim ad hanc vitam tranquille traducendam, sapientia emolumenti afferret, si famis sitisque angustis, animi instrumentum corpus miserè conficeretur? Hinc sapiens, precabatur. Victui meo tribue necessaria. Sanctus quoque Iacobus. Si Dominus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo, & custodierit me, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum quo operiar, erit mihi dominus in refugium, & lapis istè in signum. Huc accedit: sapientiæ quidem munere, animi, tum nostri, tum sociorum integritatem tueri nos accomodatè posse: eos verò à corporis miserijs & calamitatibus vindicare, pietatis opere non poterimus; nisi diuitijs affluamus. Quæ quidem ratio plurimum à Christo Domino commendatur. Item Dauid. Iucundus

Proue.30.

Gen.c.28.

homo

homo qui miseretur & commodat. Capit igitur vberem ex diuitijs fructum ille, qui ita potitur eis, vt sapientiæ coniunctionem non desideret. Tum enim non ad luxum sed ad vitæ huius calamitates subleuandas cõuertit opes. Quod profectò explicauit sapiens dicens. Et Magis prodest videntibus solem: Quoniam huius vitæ molestijs sublatis, cumque nos è vita excesserimus, æuoque sempiterno potiemur, nihil emolumenti diuitiæ exhibebunt: quod vno ipso Deo cõtenti erimus, in quo sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ. Demum id in hac sententia summopere curandum est: quod nomen illud. sicut. ęqualitatem non dicit sed anolologiam. In quem sensum à Saluatore dictum fuit. Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis perfectus est. Sapientia igitur mentem animumque ab omni errore & inanitate abducens, in officio & pietate continet: opes verò molem hanc fractam & abiectam nostri partem ab huius vitæ ærumnis, & necessitatibus tuentur. Hoc verò infinitis fermè partibus minoris quam sapientia sunt: quod hæ quidem corporis nostri vitam iam vigentem faciliorem & iucundiorem reddunt, vita autem functis viuendi beneficium impertiri non possunt. At sapientia ita viget, vt nominis immortalitate post mortem quoque, vitam impertiat, ac tandem in æternam illam nostramque domum nos ducat, vt de se, ipsa testatur. Qui me inuenerit, inueniet vitam.

Psal. 111.

Colo. c. 2.

Mat. c. 5.

Eccl. c.

Considera opera Dei quod nemo potest corrigere quem ille despexerit.

PRæcipua si queratur causa ob quam homo sit conditus, Quid constantius? Quid verius? quam ad Mundum, quod peculiare est Dei opus, contemplandum atque mirandum? Cuius etiam gratia, cum natura cæteris animantibus figuram pronam humique depressam largita esset: homini solum celsam atque erectam dedit, tamquam qui rerum

omnium cum caducarum, tum cœlestium, spectator esset & contemplator. Quod cum ita se habeat, omne ad hanc actionem studium conferendū est. Vt isthæc sententia adhortatur: id autem in diuinis operibus potissimum animaduersione dignum est, quod & si ea magna sint, pulchra & elegātissima: nisi tamen eadem vi, qua ex nihilo sunt profecta, seruarētur: omnino labefactata conciderent. Est namq; vis diuina, adeo rebus omnibus intima atque insita, vt eadem sublata, nullæ germinarent arbores, nulli erumperent flores, nihil impulsu sui cieretur, aliquidue moliretur. Quod illustris Poeta illis Carminibus explicauit.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus.
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Huc spectat illud diui Pauli. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Natura namque, atque ratio causarum quidem numero referendæ sunt, tamen cum sint proximæ: nisi virtute diuina niterentur, omni vsu destitutæ iacerent. Hoc vero vt in rebus omnibus ita sit, maxime autem si animi nostri institutionem consideres. Adsit enim adhortationis sermo perelegans, & eruditus, efficax ratio, accomodatus sentētiarum nexus, tormenta minitans, præmia pollicens, virtutis splendorem, vitij turpitudinem complectens: persuauis autem absit Dei motio, cælestisque afflatus, laterem (vt aiunt laueris. Nisi (inquit) Dominus ædificauerit ciuitatem, in vanum laborauerunt qui ędificant eam. Quam imitatus Diuus Apostolus sententiam, ait. Neque qui plantat, neq; qui rigat, est aliquid; sed qui incrementum dat Deus. Quin nostræ parens libertatis Christus. Nemo (inquit) venit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Quem itaque iusta, vt occulta, iudicij sui vindicta, à seipso suaque benignitate Deus repulerit: profectò eū à flagitijs sceleribusq; abductum, ad virtutis normam ac pietatis traducere quisquam non potest. Etenim vt actiones honestas conficere nisi Dei ope nequimus; ita ne à perditis quidem profligatisque moribus nos temperare. Atque huc pertinet id Dauidis. Confusi sunt quoniam Deus spreuit eos. Sunt autem hi homines importunissimi, qui Diuini numinis

Psal. 126.
1. Cho. c. 3
Ioan. c. 6.

abiecto timore, De Deo & praua sentiũt, & in socium agunt iniqua. Qũo fit vt malorũ mole obruti, lenitatis Diuinæ spe abiecta, contemnant rationem inire aliquam honestatis: vt magnum non sit, si à beneficẽtissimo Deo despiciãtur & ipsi. Hinc Vates ait. Super tribus sceleribus Damasci conuertam eum; & super quartum non conuertam eum. Quod ijs qui impia flagitiosaque cogitarint, ore protulerint, reque ipsa compleuerint, adest plerumque Diuina lenitas, vt ad eam à qua aberrauerunt, viuendi honestam rationem reuertantur. Qui vero obstinato animo in sceleribus versantur, difficile admodum est (ne deterius quid dicam) vt insaniendi repugnandique Deo finem faciant. Dominus namque tres tantum mortuos reuocasse ad vitam legitur: is autem qui quatriduanus est, iam fœtet.

Amos. 1.

Ioan. c. 11.

In Die bona fruere bonis, & malam diem præcaue.

HOrribilis admodum proxima sententia fuit, grauiterque humanum animum territans. Quod nulla est calamitatũ capitalior, quam eorum vnum esse, quem Deus abiecerit, paternaque cura sua excluserit. Itaque deiectum antecedenti oratione animum erigit modo: id ob oculos mentis proponens. Quod vt incommodis, aduersisque rerum flatibus agitari nullus nisi Diuino nutu potest, ita cõmodis secundisque rerum successibus florere quemquam Diuini est beneficij. Hinc Iacobus. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est. Vitia tantum & scelera per se homines moliuntur. Quod suis ipsi viribus nixi, atque insolenter elati, tamquam egregium aliquod præstare per seipsos possint: iusto iudicio Dei in facinora prolabuntur; Deo sic permittente, vt agnoscamus, nihil nostris esse fidendum viribus, spes nostras omnes in vno ipso locandas: à quo & bona Dies, idest, prospera cuncta contingunt, & Dies mala, idest, aduersa immittuntur. Solent enim literæ sacræ, ex euẽtu, momenta rerũ & rationes metiri. Quare Apostolus. Redimentes (ait) tempus quoniam Dies mali sunt. Neque enim

Cap. 1.

dierum interualla & noctium mala sunt, ex quibus præclarissima hominum generi commoda fluunt: sed quóniam hac rerum luce exigua, noctis dieique interuallis distincta, innumeris ferè malis obsedimur, atque adeo opprimimur; malos dies verissime appellauit. Quibus medēdis aptissimum remedium est, vt Die bona fruamur bonis; malam autem caueamus. hoc est. secundis rebus ne inaniter efferamur, nec turbatis molliter deprimamur. Quin illucescente bona die, qua omni animus vitio carēs, honestati studet, officia seruat, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ de suo statu dimouent, ægritudo non pungit, turbulentæ curæ non solicitant, sed mentis optimo statu ac tranquillitate conquiescit, tum reuera fruitur bona die, quod florentes res animum nō excruciant, sed delectant, non corrūpunt, sed sancte pieque instituunt. Itaque tunc ita lætandum, vt non profusum gaudium, & immoderatum id sit, quin cum timore ac tremore nostræ saluti consulamus, cogitantes lenitati Dei coniunctā iustitiam semper esse, qua acerbissimas repetit pœnas ab eis, qui secunda fortuna elati, obstinato animo proterunt, atque conculcant leges suas; neque malam præcauere Diem in animum inducunt. Huc pertinet id psal. Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore. Quis enim crasso hoc corpore inclusus bonis ita septus esse potest, quin malorum impetu opprimi queat? Malę igitur Diei mætu profusām lætitiam retundendam monet. vicissimque bonæ diei lætitiam non esse ex malę diei mætu corrumpendam præscribit. Florens profectò status, & laudibus efferenda vitæ conditio.

Psal. 2.

Hæc uidi in diebus Vanitatis meæ. Iustus perit in iustitia sua, quęque & impius multo viuit tempore.

NOn minimum ad mentis nostræ piam institutionem attinet, quin reuera caput est. Vt animus rectè pieque de Dei prouidentia sentiat, hoc enim, vt fundamento euerso, pietatis ratio perit, corruit omnis religio. Verumenimuero cum plerumq; improbos valentes opibus, florentes honoribus,

bus,vitę diuturnitate alacres videamus,pios vero quiq; vitã cum honestate traducunt, calamitatibus premi, rerum difficultate obrui, celeri morte extingui; Quî fieri potest vt par te aliqua imbecillus animus non moueatur ac nutet? Quæ quidẽ perturbatio viros etiam sanctissimos sic afflixit, vt ad expostulandum cum Deo fuerint adducti. Hinc Dauid. Mei autem penè moti sunt pedes,penè effusi sunt gressus mei, pacem peccatorum videns &c. itaque mirum non est, si Salomon hoc quasi perturbato ordine offensus, parum dicit, abfuisse quin de sententia recta pelleretur, atque in Deum grauissimè peccaret. Iam vero vt multis curis angatur hoc breuissimo vitæ curriculo vir sapiens: haud scio an quicquam quod eum acrius mordeat sit,quam impios in magna potentia esse,atq; omnium rerum copijs affluentibus florere, pios vero egestate & varijs incomodis premi, vitæ & cœli huius luce iucundissima quam mature priuari. Vt iure hac re commotus Salomon vitæ huius tedium incurrerit. Verumtamen non modo in perenni beatoque æuo collocati videbimus, prosperos impiorum successus ex florenti illo & illustri statu in maximas miserias & illas quidem perpetuas pręcipitari. Sed modo etiam aduertere possumus, rebus ijs improborum secundis nihil commouendum, quippe quæ sint breues & fugaces, & maiora supplicia pariant. cum econtrario hominibus vitam cum fide rectisque actionibus, colentibus nihil possit euenire mali, nec viuis quod prosperi sẽper exitus consequãtur,nec mortuis quod nomen cœlo cõmendatur: animusque æterna tranquillitate conquiescet. Itaque ab ea est insania abstinendũ vt affirmetur,frustra quempiam studere innocentiæ,quod assiduis tales vexentur calamitatibus; quando perditissimum habebunt exitum impij, & in lubrico positi modo facillimè labantur. pietatis vero finis, fœlicissimus erit, & æterno æuo alumnum suum tuebitur.

Psal. 72.

Noli esse iustus multum, neque plus sapias quam necesse est.

OMnibus in rebus nisi modus constituatur aliquis, nihil ita est honestate præclarum, nihil laude excellēs, quin ex eodem pernities oriatur. Neque enim fieri potest, vt com modū id afferat, quod à recta ratione discedit. Vt enim sanguis, pituita, alioue prauo humore affectus si venis insideat, morbos exitiales excitat. ita animus prauarum opinionum errore inflatus, vitijsque infectus nihil quod honestati consentiat potest efficere. Atque in id etiam mali turpissimè cadunt, vt Diuinæ iustitiæ modum velint constituere, resque vt suo iuditio metiuntur, administrari: Atque hoc est, profe cto nimium esse iustum: diuinæ scilicet iustitiæ ac sapientiæ modum præscribere: dum præpostere idipsum procedere putant, quod mali florent, pij aduersa fortuna affliguntur. Verumtamen cum sit Deus totius iustitiæ ac sapientiæ prin ceps ratio & exemplar, æquum est (vt patitur tamen natura nostra) illi nos ipsos nostrosq; sensus conformare, quodque id vere iustum est, quod cum summa iustitia & diuina re ctè consentit. Contra id prauum quod ab æterna hac iustitia desciscit. Quare Apostolus, non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Floreant igitur mali, incommodis afficiantur boni, nos tamen id nutu Dei euenire arbitrantes, nihil ea re, de recta mundi administratione imminui, nihil detrahi sentiamus. ipse namque tam dissimiles rerū vices summo iure (licet occulto nobis) temperat atque disponit. Quod si huic sententiæ minimè assentiamur, tūc profecto multū iusti sumus, atque plus æquo sapimus, qûo fit vt in stuporem & amentiam incurramus; Neque enim fas est Diuinam illam generalemque rationem gubernandi, quæ partibus infinitis excellit nostra, ad ingenij nostri imbecillitatē coarctare. Etenim qui se suosque tueri, ac saluos esse tātum studet, in id incumbat necesse est, vt quicquid eis obest, longè repellat. At Deus qui rebus omnibus latissimè debet consulere, cum bona malis, ad

2.Cho.10

uersa

uerſa probis immittit, nihil quod totius mundi temperatio poſtulat, prætermittit, quod ea re proborum conſtantia ac virtus magis elucet, & improborũ ſupplicium acerbam acceſſionem ſumit. Hic mihi ſententię huius interpretandi modus ſummo opere probatur. Nam quod de recta honeſtaq; actione nonnulli dictum arbitrantur; vix queo aſſequi cur id putent. Numquam enim iuſtitiæ ratio eſſe recta poteſt, niſi cum recta ratione conſentiat; quod quidem perfectè repperiri in nobis vix, aut ne vix quidẽ poteſt: quando adeo imbecilles ſumus, vt iuſtitiæ normam conſequi ſuis (vt aiunt) numeris expletam nequeamus. Quotus enim quiſq; eſt, qui & ſi multum pernoſcendis rebus, ſtudij ponat, non fugiant eum multa? Aut quis ita ſibi bene conſtat, vt non labatur ac peccet? Itaq; quomodo nimium iuſti eſſe poſſimus, ego non video; Niſi quis dicat cõſtituendis ſupplicijs prætermiſſum modum, nos nimium iuſtos conſtituere. At qui tunc quidem iuſtitiæ vocabulo abutimur; quod reuera acerbiores, ac iuſtitia poſtulat pœnas repetere, crudelitatis eſt non iuſtitiæ, quæ cum ex recta ratione debeat exiſtimari, nimia eſſe quî poteſt? Siquidem aut minus quicquam habens aut redundans, recta ratio numquam erit. Quorſum etiam hic, quo loco eſt de diuina prouidentia, ratio habita: de iuſtitiæ adhibẽdo modo ſermonem facere? Pœna vero quæ additur, in eũ, quem ſecuti ſumus ſenſum optimè quadrat; Quod qui pro ſperitate impiorũ cruciantur, in eamque inſaniam incidunt, vt de bonitate ac prouidentia Dei minus pie ſentiant, id ſupplicij pendunt, vt quia ſupremam mentem calumniari non verentur; excidant ipſi à mẽte ſua, ac ſtupore obruti, ſui etiã ipſorum obliuiſcantur, tandemque in æternum præcipitentur malum.

Ne impie agas multum: & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.

QVotieſcunque humana hæc, Diuino nutu, minimè gubernari homines; maximus ad malorum genus omne,

ne,patet, aditus: omniaque sursum deorsum, nullo ordine, vel ratione,versantur. Contra, cum prouidentiæ diuinæ iuribus administrari mundum constanter sentiunt; ad omne pietatis studium homines se exercebunt.Etenim vix fieri potest, vt cogitatio hæc; fore scilicet tempus, cum apud iustissimum Deum, tum malorũ, tum bonorum, disceptatio fiet: pendant illi supplicia debita & æterna, accipiant isti merita præmia æuo sempiterno, non ad rectam viuendi rationem reuocet facinorosos quosque. Itaq; eam ob rem impie multum agere non debemus. hoc est, ad extremum vsque vitæ tempus, facinorosis actionibus implicari, prauaque de Deo sentire;quod hæc mortalia non curet.Quoniam eius opinionis tanta est labes; vt & manifestissima sit amentia; & dirissimo digna supplicio. Moriuntur etenim ij in tẽpore non suo: hoc est,celeriter atque intempestiuè,nullo de patratis sceleribus, animi dolore suscepto. Hinc Psalmus. Viri sanguinũ & dolosi non dimidiabunt dies suos.Et quidem tunc nostro in tempore morimur,quando praui suscepti instituti crimina, animi mœrore eluimus; pietatisque studijs operam damus. At si sceleribus maculati,vitijsque onusti,nec pœnitentiæ remedio salutari adhibito è vita excedamus; in tempore certè nostro non morimur. Quod fatuis virginibus euenisse sacra Euangelij narrat hystoria. Dum (inquit) irẽt emere venit sponsus,& quæ paratæ erant,intrauerunt cum eo ad nuptias,& clausa est ianua. Deum igitur mundi huius res iusto suo iudicio administrare sentiamus, quique debita improbis supplicia decernet. sic enim fiet, vt vitiosam viuendi rationem abijciamus,neque in finem vsque rebus nefarijs inquinemur. Quod est & impie multum agere,& stultum esse.

Psal. 54.

Mat.c.25.

Bonum est te sustentare iustum: sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deum nihil negligit.

CONgruẽs admonitio sequitur,vt pietatis studia ad tam immane supplicium euitandum exerceamus. ij namq; qui hæc neglexerint; & esurienti, & sitienti, nec cibum,nec potum,

Mat.c.25.

potum ministrauerint: hospitem non exceperint: nudum non operuerint: aut in carcere inclusum, ægrumque non visitauerint, à Dei aspectu iucundissimo exclusi, horribili atq; formidanda sententia: discedite à me maledicti in ignem æternum, rerum omnium inopia torquebuntur. Quod sanè cum omnibus nobiscũ rationis societate coniunctis exhibendum hac sententia præscribatur, tum multo magis pijs iustisque cum hominibus, quos egestate & molestijs occulto Dei iudicio, confici plerunque videmus. Quibus profecto iuuandis indefessum studium tueri ac tenere debemus, hoc est enim, non reuocare manum. Nam qui parce seminat, parce & metet: Qui vero vberiorem collocandi beneficia rationem susceperit, æternum colliget fructum gloriæ. Cuius quidem rei incitamẽtum perualidum adiunxit, dicens. Quoniam qui timet Deum nihil negligit. Si enim Deum, ipsiusque infinitã vim extimescamus, qua omnia moderatur: quis dubitet nulla nos pietatis officia neglecturos? Etenim urget is veluti stimulus, excitat, atque adeo incendit. Quare sapiẽs. Qui timet Deum faciet bona.

2. Cho. c. 6

Eccl. 15.

Sapientia confortauit sapientes super decem principes ciuitatis.

QVisquis in eam cogitationem adductus fuerit, vt nihil nisi Dei nutu ipsiusque consilio, hoc in mũdo geratur quod profectò eximię est sapientiæ argumentum; is magnũ animi robur, atque constantiam, ad molestias vitæ perferendas sib comparauit. Vt quamuis in egestate, dedecore & cruciatibus vitam degat, tamen animum ad eam diem referens, qua defunctis huius erumnosę vię conflictationibus, diuinis atque æternis honoribus in cœlestem patriam receptus, afficietur. Tum summa lætitia effertur, egregiamq; animi tranquillitatẽ in omni acerbitate cõparat: qua nimirum ad omnes fortunæ ictus insuperabilis redditur. Ecquis tantam animi celsitudinem, ne dicam decem principibus, sed vniuerso hominum generi, præferendam non putet? Siquidem

ſapiẽtia ſola eſt, ad quam grauiſſimis caſibus tamquam tem
peſtate iactati, confugere tutum eſt ſolatium, fiduſque por-
tus. Hac Diuus Apoſtolus fretus fidẽter aiebat. Certus ſum,
quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principa
tus, neq; creatura alia, poterit me ſeparare à charitate Chri-
ſti. Quid vero ſapientius, quam diuinum numen rebus cun-
ctis adeſſe, credere; atque eas ipſas pro nutu ſuo diſpone-
re ac temperare? Tunc enim dici cum Vate poteſt. Domi-
nus illuminatio mea quem timebo? Dominus protector vi-
tæ meę à quo trepidabo? Decem autem principes, quicquid
hominum nititur viribus atque præſidijs oportet intelligi:
vt ſit certus numerus poſitus, pro generali, vt ſacris literis
plerunque familiare eſt.

Rom. c. 8.
Pſal. 26.

Non eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet.

RAtionem quaſi affert, cur potiori ſit loco ducenda ſa-
pientia, præ viribus ac potentia. Quoniam adeo ſunt
hæc ipſa imbecillia, ab omniq; vero robore imparata, vt vin
dicare quempiam à malis, fœdiſque vitijs prorſus non poſ-
ſint. Quotus enim quiſque eſt, qui in huius miſeræ vitæ cur
ſu immunem ſe penitus ab omni vitio ſeruare poſſit? Etenim
& gratiſſimus Chriſti diſcipulus. Si dixerimus (inquit) quod
peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in
nobis non eſt. Huc ſpectat etiam id pſalmi. Non eſt qui fa-
ciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Diuina namque Natu-
ra ſola eſt, in quam cadere peccati fœditas non poteſt: quod
omnis eſt mortalis concretionis expers, totiuſque honeſta-
tis ac recti prima lex; itaque quod à ſeipſa diſcedere prorſus
non poteſt; neque peccare dicendum eſt: peccati namque ra
tio omnis ex eo pendet, quod ab ea, quam ſequi par eſt, re-
gulam quiſquam declinat. Homines vero ea ſunt infirmita
te ac ſtatu, vt Diuini numinis auxilio remoto, tantum ab-
eſt, vt quicquam coniunctum cum honeſtate queant efficere
quod ne reſipiſcendi quidem à malis ſtudium poſſunt ſuſci
pere. Hinc Vates ait. Viam iniquitatis amouè à me. Ita-

1. Ioan. c. 1
Pſal. 13.
Pſal. 119.

que colligamus maledicto, non iniuria, obnoxium eum esse, qui hominum opibus hac vita nititur. Maledictus, inquit, vir qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum. Quæ enim securitas? Quod perfugium erit vnquã tutum, vbi peccatum, vitium, scœlus? quod quidem pœnę timor semper consequitur: Itaque demisso semper, ac humili nos animo esse oportet; quod nemo sit, cuius ex omni parte vita laudetur. Nec vero, vt recentiores hæretici, hoc ex loco sumendum est, hominis opus omne, peccati labem habere. Quando piæ actiones Diuina ope fretę gratissimę Deo sunt. Neque sanus quis erit, qui eas peccatum esse defenderit, si sacras literas audiamus: est autẽ verborum notio. Nemo suis se opibus ita muniet, quin Dei exclusa ope peccatis inuoluatur. Huc enim illud pertinet. Sine me nihil potestis facere. Atque, Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

Hier. 17

Ioan. c 15. Psal. 126.

Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur ne accomodes cor tuum, ne forte audias seruum tuum maledicentem, scit enim conscientia tua, quia & tu crebro maledixisti alijs.

NOn desinit solertissimus sapiens, de his omnibus rationem habere, quę quoquo pacto faciunt ad sedationẽ & tranquillitatem animi nostri. Quid vero accomodatius, quam maleuolentissimis obtrectationibus, nefarijsque calumnijs non agitari, neque latum (vt aiunt) vnguem commoueri? Ac vero ad id vtitur efficacissimo argumento. Quod hominum fert licentia petulans, mordere inter se, atque acrius carpere. Et quidem nemo rectis actionibus, preclarisque facinoribus ita munitus ac septus esse potest, quin ob trectatorum linguis appetatur. Ex quo efficitur vt ęquiori animo maledicta ferre debeamus, quod id mali promiscue grassetur in omnes, nec est qui, hac in re, socium suum non violet. Hoc prouidendum in primis est vt remediũ accomodatum, ne congesta in nos conuicia etiam à seruo, nostraque dignitate inferiori, nostras ad aures perferantur, aut aliquo

loco audita ducamus: quando nos ipsi testes sumus; quam facilè id sit, quamq; leuissimũ alios, scilicet, carpere: Igitur & culpa nostra alienum vitium leuet, & stomachi materiam; peccati facilitas auferat. Vt enim non qui seipsum commendat ille probatus est, ita nec alienis maledictis cõfixus, deijcitur ex virtutis gradu: quoniam honestissimo cuique inferri nihil mali potest obtrectationum illuies: quem splendidissimum suarum virtutum lumen illustrat. Ex quo quidem quantas sibi calamitates conflent imprudentes ij homines, constat, qui sedulo, quid de ipsis dicatur, quid sentiat populus, quæ eorum sit apud homines existimatio, perquirunt curiosius. ponunt enim aliorum in dictis animi testimonium.

Cuncta tentaui in sapientia. Dixi sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multò magis quam erat. Alta profunditas, quis inueniet eam?

PRæclara sanè commoda consequuntur homines ex sapientiæ munere. Est enim illa vitiorum expultrix, virtutum indagatrix, ac vitæ nostræ magistra, propriaque hominis functio. Siquidem lassati curis, & sollicitudinibus leuati, maximè rerum occultarum & admirabilium cognitionem expetimus, cum summopere in ea animus conquiescat. Atqui cognitio omnis multis est obstructa difficultatibus, eaq; est, in rebus ipsis obscuritas, & in iudicijs nostris imbecillitas, vt ijdem ipsi, qui sapientis partes egregiè præse tulerunt, veritatẽ assequi diffisi sint: quorum è numero Salomon se vnum testatur. Etenim cum pernoscendis rebus studium omne contulisset: sapientiæ adeo obscurissimum, adeo vastissimum sinum repperit; vt quo amplius in eo attingendo laborarit, eò se remotius abscessisse testetur. Itaque cõtemplationẽ rerum, homines fœlices efficere prorsus negat. Quod enim cupiditatem non sedat, sed excitat, tranquillitatem nõ affert, sed naufragium, quid habet cum fœlicitatis tuto portu, commune? Igitur merito ait. Alta profunditas, quis inueniet

niet eam? Nam tametsi acerrimo sit quis ingenio præditus, accuratissimamque ad inuestigandum rationem adhibeat, Diu multumque studium ponat, perfecte numquam, rerum vim, causas, euentus intelligentia consequetur. Qua de re Socrates his rebus occultis & inuolutis à Natura dimissis, in quibus versati antiquiores quique fuerant; quod à cognitione nostra procul abesse censebat; vel si maximè cognita essent, ad bene beateque viuendum nihil conferrent: primus de virtutibus atque vitijs, omninoque de bonis rebus & malis sermonem habuit, omnisque eius oratio in virtute laudanda, & in hominibus ad virtutis studium exhortandis consumpta est. Quod agere modo sapiens recte instituit. Sequitur.

Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem & considerarem, & quærerem sapientiam & rationem, vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium. Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, Qui autem peccator est, capietur ab illa.

QVid agendum, quid fugiendum sit in vita noscere sapientis est functio. Quod quidem nunc ita fit à Salomone, non modo vt quæ in Deum committũtur vitia declaret, sed quæcunque etiam peccamus in violando socio, dilucide explanet. Appellat autẽ stultos menteque captos, quos cunque praua de Deo sentientes; quoniam omnium primã mentem ac sapientiam minimè colunt. Qui verò eam, quæ secundum naturam est, generis humani societatem violant, imprudentium loco habet: quod vitæ omnis institutio recta, pendet à prudentia. Quo quidem in studio quantum profecerit Salomon explicat planè, sumens à Muliere exordium, quæ peccati quoque pestilens initium fuit. Nam & si consilio summo Dei ad procreandam sobolem, productam mulierem sacræ literæ narrent: simulque vt ei esset ad res huic vitæ necessarias suppeditandas opportuno auxilio: id

Gen. c. 1.

Genes.c.1 lio: id enim verbis illis dicitur. Faciamus ei adiutorium simile sibi; non est bonum esse hominem solum. &c. Hæ tamē imbecillitate sexus, mentisque debilitate, ad omne sunt vitium procliuiores; animique perturbationibus, liuoris, amoris, vindictæ, ægritudinis, facillimè commouentur: vt mirū sit quicquam ab eis proficisci consentaneum rationi. Ac vero vt in eadē insistamus; propterea quod maximè sunt principatus appetentes, pulchras videri, diligique vehementer desiderant: nihilq; quod ad id faciat, prætermittunt. Oculorum venustatem, capillorum conuolutionem, splendorem vestium, verborum leporem, incessus compositionem, totiusque corporis ornatum, mirificè curant. Quodque eis vel in mollitudine carnis, vel in suauitate coloris, Natura deficit; incredibilibus ferè modis (fœdissimis & onerosis) restituere arte student: vt ijs capti viri, à seipsis & tota honestate desciscant. Idque facile est. Nullum est enim animalium genus, quod intelligat quid sit ordo, quid deceat, quid sit venustate decorum: solus homo decore, partiumque consensione ac modo capitur: qui cum in mulieribus, & Natura, & vi artis eluceat supra modum; nemo mirabitur, si eò homines deliniti, vitam mollem, abiectam, fractam, virtutis decore spoliatam traducunt: neque quid ratio postulet: sed quid voluptatis titillatio, sensusq; motio suauis velit, animo complectantur: ex quo ferè ad interitū labuntur animi. Vt enim corpus animo excedente perit. ita virtutis actione neglecta animi status conuellitur. Itaque corporis morte amarior est mulier. Cuius quidem fœditatem preclaris translationibus persequitur. Nam & venatorum laqueo, quo incautos in insidias adducuntur earum oculos similes facit; & cor piscatorum sagenæ iure optimo comparat, quod maxima is cupiditate effertur, ad sui amorem homines alliciendos, & implicandos: & complexus, vincula dicit, quoniam eorum suauitate impediti, ad rectam conuolare viuendi rationem nequimus. Igitur per eas ab vniuerso animi statu periculum subimus. Adiungit vero. Neminem ab ijs insidijs liberatum iri; nisi quem Deus præcipuo quodam studio, & auxilio commu-

munierit. Nihl enim,ad hæc effugienda, vel corporis vigor vel egregia animi eruditio,vel ante actæ vitæ splendor momenti habet; Quod in Dauide, Sansone, eoque ipso Salomone contingisse memoriæ est proditum: quæ igitur huius effugiendæ labes spes est ijs, qui nefarijs criminibus,dissolutosque viuendi genere obligantur? Quod quidem in Holoferne licet perspicere. Ait namque sermo diuinus. Cum intrasset Iudit ad Holofernem, statim captus est in oculis suis, &c. En id est, quod diligenti operum nostrorum perquisitione repperit Salomon, atque si diligentius obseruetur, fructus vberrimos honestatis edet.

2.Reg.11. 3.Reg.11. Iudit.16.

Iudit.10.

Ecce hoc inueni (dixit Ecclesiastes) vnum & alterum, vt inuenirem rationem, quam ad huc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum repperi, de mulieribus omnibus mulierem non inueni.

CVm namque promiscuè tam viri,quam mulieres,vitiorum sordibus implicentur; operosa est huius sententiæ explicatio.Siquidem optimus effector rerum homines vtroque sexu ea ratione excitauit, vt excellentius præ animantibus cæteris eum ipsum cognoscerent,atque colerent: ideoque virtutis amorẽ,honestatisque studium eorum animis attribuit,atque originalis iustitiæ munus adiecit,quo tamquã freno, cupiditates illius regebantur, totiusq; abiectæ partis commotio poterat in officio contineri, præceptisque diuinis se subijci.At suo malo tantorum munerum partem infecit,partem reuera comminuit; vt durissimum calamitatum pondus sustineret,& ad omne malarum cupiditatum genus inflammaretur. Quod eleganter sacræ literæ explicarunt. Sensus & cogitatio humani cordis prona sunt ad malum ab adolescentia sua: vt ex hoc intelligi possit. Neminem per se rectè sapere,sed omnes ad malum propensos esse, flagrantique studio ferri,ad iram,ad odium, ad ambitionem, ad omne malorum genus,quibus miserè animus dilaceratur.Atq; hoc ex fonte nascitur,vt ex viris mille,vix vnum reppererit

Genes.c.6

hoc

hoc est, admodum paucos. Ex mulieribus autem omnibus, vix vnam quidem, hoc est; longè admodum paucas, quæ seruent officium, cuius sunt gratia conditæ. Hyperbolica enim hic ratio animaduerti debet. Quod nō modo viri multi, sed etiam fœmellæ, pietatem iustitiamque coluerunt. Vt Sarai, Racheles, Maria soror Moisi, ac pleræque aliæ, quas monumentis nouimus celebratas, Hoc tamen est, quod si eæ ipsæ conferantur cum viris, quorum est vitæ genus constantius; quique magis aperti sunt, magis sui similes; exiguo numero continentur. Varium est enim (vt poetæ verbis vtar) & mutabile semper fœmina. Idemque. Vt flerent oculos erudiere suos. Animaduerte autem quod Ironia vsus est, cum diceret. Vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Iam enim ipsam mulierē accomodata & aperta Metaphora descripsit, quod facere qui potuisset, nisi perspectam eam cognitamque habuisset? sed magnitudinem rei atque difficultatem, per ironiam expressit.

Gen c.24. Exod.

Solum hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum: & ipse se infinitis miscuit quæstionibus. Quis talis vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi?

SI in præclara illa vitæ ratione, quam superius descripsimus, mansisset homo: neque nos in tanta inanitate & prauitate versaremur, neque horum malorum causam vel in Deum, vel in fata, astraque (vt pleriq; amentissimè sentiunt) referremus. Nos enim ipsi sponte libidinibus & cupiditatibus obcæcati, quæ salutaria sunt, veluti pestifera ducimus, imo ad ea tamquam ad optabile quoddam & expetēdum bonum præcipites rapimur: ab ijsque quorum honesta est, & præclara ratio, tamquam à contrarijs abhorremus. Quę profecto infinitæ sunt questiones, luctuosissimæ miseriæ. Dum enim Dei cultu neglecto, rectoque diuinis de rebus abiecto sensu, falsas religiones colunt homines profligati, nullus est tantæ impietatis terminus; Deorumque numerus nullo fine coercetur, cum affectiones etiam suas fœdas, in Deorum

nume-

numerum referant, queque per se turpissima sunt, non verentur vt numina venerari. Merito certè nam ab vno illo summoque bono, cum desciuerint, quo fœlicitas continetur; infinitum prauarum cupiditatum incendiū excitatur, vastumque esse appetitionis nostræ sinum experientur, vt vltro citroque, atque adeo sus desque miser animus agitetur. Hoc certè malorum est pondus, quo pressi, præcipites ruimur, atque in maximas æternasque miserias proijcimur. Hæc scœlerum furiæ, quibus vt ardentibus tædis impij ac nefarij homines exagitantur. Hæ questiones infinitæ, quibus pestilentes homines implicati, à sanctorum hominum cætu atque consessu procul absistent. Quorum certè sua sponte nexu tenentur, vt neque id in diuinam pietatem, quæ rectum hominem honestatisque cultorem creauit, vt & corpus rationi subijceretur: & ratio menti dicto esset obediens, & mens à Diuina præceptione non dissideret: vt neque in fata, neque astra, florentissimi huius status conuulsionem debeant vllo pacto reijcere. Quam profectò veritatis lucem qui non aspexerit, vt discussis ignorationis nebulis intelligat, neque obtrectandam Diuinam prouidentiam, quæ ita res administrat, vt eas proprios motus agere sinat; neque fata metuenda, quæ aut nudum nomen sunt, neque si quicquam essent, in rationis participem animum suo vti iure valerent; neque astra veneranda, quod obsequium homini exhibere debent, non exercere dominatum. Itaq; qui sic senserint, digni admiratione sunt: atq; sapientiæ splendore collustrati, vt dicere fas sit de illis. Quis sapiens, & quis cognouit solutionem verbi? Quoniam hac veritate detecta quasi apertis ac manifestis morbis, facilius remedia adhibentur: vt in Christi tandem gratiam, ac viuendi rectum cursum incolumes redeamus.

Eccl. 8.

CAPVT OCTAVVM.

Sapientia lucet in vultu hominis, & potentiſsimus faciem illius commutabit.

CONCIONATORIS partes eſſe diximus varia rerum explicare argumenta, proq; eorũ varietate qui audiunt, diuerſa dicere. Quamobrem plurima modo ad hominum informãdos mores declarare inſtituit: ita ſanè vt ne minimum quidem à libri inſtituto deſciſcat. Et quamquam capitis huius prima ſententia, diuersè admodum ab authoribus explanatur: tamen hanc eius germanam eſſe vim, perſuadeo mihi: in ſuperioris capitis calce, vix ſapiẽtem virũ reperiri poſſe, aſſeuerauit Salomon. Quod quidem abhorrere à veritate plurimum videbatur. Multi namque ſapientes ſe, & appellari volunt, & iudicari: quod hoc ſe proximè accedere ad Deum certo ſciunt. Hinc vultus grauitas, veſtitus ſqualor, libidinum moderatio, amplitudo verborum, cæteraque id genus alia, quæ non obſcura ſapientis ſigna cenſentur. Verumenimuero eiuſmodi plerunque fucatæ ſunt ſapientiæ ſpecies, non eminentes: ementita virtutis ſimulachra, vmbræ inanes, non conſtans veritas, ratio ſolida. Idq; tum apparet dilucide, cum aduerſi quicquã, & calamitatis euenerit: atque a potentiſſimo quoque negotium moleſtiaque fuerit exhibita. E veſtigio namque detecta vera hominis perſona, vt re vera præſidio ſapientiæ orbati, quo ſepti ad omnem caſum debuerant eſſe: franguntur, debilitantur, mulierumque more ad luctus, comploratioineſque ſe conuertunt. Quod profectò quam ſit à vero ſapiẽtiæ munere alienum, quis non perſpiciat? Iis namque qui ſapientiæ ſplendore ſe perornatos eſſe volunt, id in primis propoſitum eſt: vt nec ſecundis rebus inſolentius efferãtur, nec turbatis effeminate concidãt: tueantur conſtantiam in conſilijs, nihil nouum ac inopinatum accidere hominibus

posse,sentiant: quorum est multis fortunæ telis vita exposita;quæ concutere quidem mẽtem queunt,non euertere. Ex quo efficitur vt humana omnia virtute inferioria ducat: nec tyranni cuiusque cedat furoribus. Cuius quidem egregiæ constantiæ, quod pauci admodum imitatores existant, non ab re dictum fuit. Et potẽtissimus faciem eius commutabit. Vide verãm sapientis virtutem, quam ne appetere quidem potuit potentissimus Fabianus. Videtur (ait) verè sapiens ac grauissimus Tiburtius, cum ardentissimos carbones stratos calcaret ambulans,quod super roseos flores incedam in nomine Domini. Huc spectat id Laurentij. Disce miser, quod carbones isti quibus aduror, non ardorem, sed refrigerium mihi præstant. Quorum sanè multitudo ingens,è Christiana Republica iucundissime effloruit. Hæc mihi videtur consentanea sententiæ explicatio. nam quod ex occursu faciei cognoscatur sensatus; atque etiam sapientiæ vigor æterna vultus ratione prodatur: verum quidem id est,nihilominus nõ cohæret, vt postea dicatur,& Potentissimus cõmutabit faciẽ eius. Nam qui quasi fluctu quodam agitatus,blanditijs,mollitur, aut terroribus frangitur; sapientis honorem nulla ratione meretur. In malorum ergo tolerantia veræ est sapientiæ fructus.

Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.

PRæcellens est dubio procul & vegeta vis sapientis,vt aduersa quæque perrumpat. Attamen sese à Regum iussis, qui Dei partes tenent,diuinisue mandatis,nulla ratione alienum præstare decet. Etenim quibus diuino nutu imperandi est potestas tributa, nisi nos obsequamur, fit vt ab ipsius summi authoris lege iniquissimè desciscamus. Scriptũ enim Qui vos spernit, me spernit. Itemque Paulus. Qui resistit potestati (inquit) Dei ordinationi resistit. Qua de re Salomon, licet præclara esset sapientiæ ratione ornatus, alto & exaggerato animo; tamẽ se os Regis obseruare testatur. hoc est: magnæ sibi curæ esse,animaduertere: quid iubeat,quid

Luc. c.10. Rom.13.

præſcribat,quid neget,quid vetet,is,qui rerũ habenas tempe rat,& moderatur: quò ſic omni de medio ſublata mora,eidẽ obtẽperet,& obſequatur.Eſt enim loquẽdi tropus,promptã erga Magiſtratus obediẽtiam explicans.Quare alias dicitur, ob auditũ auris obediuit mihi.Sequitur.Et pręcepta iuramẽ ta Dei.Quę quidẽ maiori ſolertia sũt à nobis,& colẽda & ob ſeruanda. Natura eſt enim hominibus comparatũ,vt omniũ optimo parenti Deo,cultus & famulatus exhibeãt.Appellat autẽ iuramẽti præcepta,proptere a quod rata sũt,atq; firma. Nullumque ea violare par eſt. Vnde etiam in veteri lege,cõ firmationis vocabulũ,additũ eſt.Amen.Ac vates regius.Iura uit Dominus, & nõ pœnitebit eum &c.Cuius.n.Deũ pœnite re poteſt,qui hominũ, rerũq; omniũ curſus oẽs,in ęternitate perſpexit. Quę igitur ſunt nutu Dei conſtituta,ſapiẽs quiſq; negligere,vt minimè debet,ita sũmo cum dedecore poterit.

Pſal. 17. — Deut.c.27 — Pſal. 109.

Ne feſtines recedere à facie eius, neque permaneas in operę malo, quia omne quod voluerit faciet, & ſermo illius poteſtate plenus eſt: nec dicere ei quiſquam poteſt, quare ita facis? Qui cuſtodit præceptũ non experietur quicquã mali.

LEgimus Cain à facie Domini egreſſum eſſe, cũ nefario fraticidio adiunxiſſet impium conſequendę veniæ crimen deſperationis: inquiens.Maior eſt mea iniquitas,quam vt veniam merear. In quo quidem diuinæ benignitati detraxit impiè. Infinitis ergo partibus noſtram prauitatem diuina clementia ſuperat, quæ enim tantam poteſt prauitas hominis, rebus ſuis importare cladẽ, quam abigere ſumma diuinitas nequeat? Hinc propheta.Si fuerint pęccata veſtra,vt coccinum, & rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. At certe damni multum faciunt, qui recedunt à facie Domini. Primum quod vno ſcœleri adiungentes, atq; anectentes aliud,longamq; ex eis (vt Vates ait) attexunt rete atq; funiculum. Quoniã Dei neglecta Iuſtitia,ſeipſos in omnem præcipites agunt nefariã actionem:in eaq; obfirmato animo verſantur, atq; adeo à facie Dei ſeſe ſubducunt, atque recedũt? Deinde pręcludunt ſibi cõdonationis diuinæ promptiſſimũ

Gen.c.4. — Eſa.c.1. — Eſa.c.5.

aditum.

aditũ. Vocat enim. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos &c. Iam vero attentè considerãdum est, ijs medendis quã adhibeat curationem sapiens. Eã, qua vsus est Apostolus cum Romanis; diuini scilicet, iudicij vim ponens ob oculos, quo reuocêtur a malis. Existimas autem quod tu euades iudicium Dei? qui reddet vnicuique secundum opera sua. HAC igitur ratione punguntur animi impiorum, seque colligentes cogitant; abstinendum à malis quoniã infinitam Deus habet vim, & quicquid sibi libuerit, illico siue in Cœlo, siue in terra, siue in omnibus abyssis, consequitur effectus. Quid vero est sermone eius efficacitate prę stantius? Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Quæ quidem vigebit maxime cum impijs dicet. Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ: confestim namq; sempiterno atq; inexpiabili igne, cruciãdi in teterrimũ & obscurissimũ ĩferni locum detrudẽtur omni reclamatione semota. Quippe qui summa sit ipse lex, & quicquid egerit, id iniuria esse factũ, nemo criminari potest. An (inquit Diuinus Apost.) dicet figulũ, factori suo, quare sic me fecisti? Ac vero idem in Euãgelio dicitur. Murmurantes enim quod hi nouissimi qui vna hora fecerunt, pares habiti sunt, atq; primi: audierunt. Amice non facio tibi iniuriã, tolle quod tuũ est, & vade: volo autẽ & huic nouissimo dare sicut & tibi. Profecto horrẽdũ est incidere in manus Dei viuẽtis: quã quidẽ illis tantũ effugere cõceditur qui ab omni se scœlere tẽperãtes, vitã cũ pietate & Religione trãducunt. Est itaq; frequẽtius animo eiusmodi sententia expẽdenda, egregie namq; ad mores emendandos conferet. Neq; n. est aliud quod omnẽ virtutis asperam viam, suauissimam reddat, atq; hęc verba, quę mãdatorũ obseruatione, ab omni nos futura & imminẽti calamitatẽ tectos esse, declarãt.

Mat. c. 11.

Rom. 2.

Psal. 150.

Mat. c. 25.

Rom. 9.

Matt. 20.

Hebr. c. 7.

Tempus & responsionem cor sapientis intelligit. Omni enim negotio tempus est, et oportunitas: & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio.

QVę sapiẽtis sint partes modo explicare instituit: cuius quidẽ ĩ hoc pręcipue situ est animus, vt euẽtuũ, tẽporis

rerumque oportunitatem optime noſcens, plerunque vultus ſeueritate, alacritate nonnunquã ad reſpondendum verba accomodet. Etenim ſiue ſupplicia minitãtibus, ſiue commoda pollicentibus, vt ad voluntatem loquatur, quid, quo ve tempore ſit reſpondendum, optimam rationem tenet. In quibus ſanè qui fallitur, tueri ſapientis munus non poteſt. Fac enim vt quis aut reſpõſionem ignoret, aut eiuſdem reddendę tempus non calleat, profectò perturbate ſe geret, nec ordine ſuo adminiſtrabit res ſuas. Cui autem tum reſponſionis vis, tum oportunitas perſpecta eſt, nihil temere ac cæco impetu aget, ſed egregię ſapientis munus explebit. Cuius habemus ſpecimen in tribus pueris camino ignis incluſis, qui intentata ſupplicia non curantes dixerunt. Non oportet nos de hac re reſpondere tibi (hoc eſt) num poterit Deus nos liberare? Ecce enim ſtatuã quam erexiſti non adoramus, tametſi cum poſſit Deus, noluerit nos liberare. Quam pulchrè Apoſtoli minitãtibus Iudeis. Obedire (inquiunt) oportet Deo magis quam hominibus. Quid Agatha ſancta? Summa ingenuitas iſta eſt, in qua ſeruitus Chriſti comprobatur: cum nobilitatis ſplendore capere Chriſti ancillam impius Quintianus vellet? cuius non ſplendorem modo, ſed amplitudinem, argumenti contorſione, in Chriſti famulatu poſitam dixit. Itaque hoc præſertim ſapientiæ decor effulget; vt ſtatas, certas, definitaſque rationes, noſtræ omnes actiones attendant. Quę quidem ſi prætermitterentur rerum pulcherrimus ordo non conſtaret. Quomodo enim vitæ nobis neceſſaria ſuppeterẽt, ſi meſſis tempus, ſationi tribueremus, aut belli tempore, quæ pacis ſunt expleremus? Quis eſſet ille ſtatus? Quæ ratio gubernandi? At qui eiuſmodi curare ſapientis tantum eſt hominis, ſtultus enim rerum cõmiſcens vices, & reſponſiones temere effudit & quod ſibi libet, ſibi etiam licere perſuadet. Verumenimuero quis ſequi hanc ſapientię normam poteſt, cui plurimi non ſint eius gratia, ſummendi labores, incurrant extranſuerſo impedimenta multa, interpellationes innumeræ? quæ temporum rationi ſeruire eum minimè ſinunt? Huc accedit, neminem poſſe id ordine

Dani. 14.

Act. 5.

dine & ratione conficere, præterquam rebus præſentibus adiungat, anneđatque futuras, quas etiam ex præteritarum ratione conieđet: atque ſic facile totius vitæ curſum anteuideat, ad eamque placide degendam neceſſaria comparet. Arduum profeđo opus. Etenim memoriæ imbecillitate laboramus in primis; ac præterita reminiſcendo ſcire magnopere operoſum eſt: futura autem vt cognoſcamus, nullus noſtrum, certum ſibi patentemque aditū facere poteſt. Id enim ſoli Deo, ac ijs quibus ille id præſtiterit, conceſſum eſt. Vocat enim ea quæ non ſunt, tamquam quæ ſunt: atque (vt ait Apoſtolus) omnia aperta, & nuda ſunt oculis eius. Nobis autem ea etiam quæ ſunt in proſpeđu, cum vix appareāt; quid expeđandum eſt, de præteritis atque futuris? Quo fit vt totius vitę noſtrę ratio nutet, atque vacillet, nec habeat quo in loco tuto conſiſtat: niſi quod optimam rationem inimus: cū ad Deum nos ac noſtra omnia referimus dicentes. Spiritus tuus bonus deducat me in terramređam: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus eſt tu.

1. Cho. c. 2 Heb. c. 4

Pſal. 142.

Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum: nec habet poteſtatem in die mortis: nec ſinitur quieſcere ingruente bello; neque ſaluabit impietas impium. Hæc omnia conſideraui in corde meo, & dedi cor meum in cunđis operibus quæ fiunt ſub ſole.

AMpliſſimè patet hæc ratio, ad noſtram calamitatem oſtendendam. Vt enim plurimum nobis comparemus auri atque argenti, ad auaritiam, amænitatum ad delectationes, ſuppelletilis ad delitias, epularum & coitus ad voluptatem: quam vim (quæſo) ad mortem excludendam, quæ omnium rerum meta eſt, extremaq; linea, vnquam habebimus? Si enim eius rei (hoc eſt vitę) qua nihil charius, nihilque iucūdius eſt, iađuram ſtabili ac conſtanti lege facimus: à qua nec virtutum vis, nec vitiorū peruerſitas, nec diſciplinarum eruditio, nec opulentię roboriſque amplitudo quemquam vindicare

Heb. c. 10 dicare potest, siue ea naturali iure obueniat. Statutū est.n.semel hominibus mori, siue morbi pernitie, siue ferarū dilitare, siue bellorum immanitate importetur; Qui fieri potest, vt impius impietate sua id consequatur? Reliquum est ergo vt prauas reprimentes cupiditates, nouum vitę genus instituentes, pietati ac honestati sedulò nauemus operam: Vt hac vitæ visura priuati, in nostram æternamque domum remigremus. In quam certè cogitationem noctes diesque incumbere debemus, Salomonem in hac re imitantes: qui magnum ad eiusmodi inuestiganda contulit studium. Neque enim exempla desunt in hoc genere. Quid ad euadēdam mortem, aut Herculis vigor, aut partę victoriæ Cæsaris, aut propagatum Imperium Alexandri, aut accuratissimæ Aristotelis disputationes, aut congestum Crassi aurum valuerunt? Exiuit enim spiritus eorum, & in die illa perierūt omnes cogitationes eorum. Itaque beatus cuius Dominus spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas. Iam vero illius vocabuli spiritus, congruentem esse notionem; vt hominis animū ipsum significet, sequentia vocabula præbent inditium.

Psal. 145. Psal. 39.

Interdum dominatur homini homo in malum suum. Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent in loco sancto erant & laudabantur in Ciuitate quasi iustorum operum: sed & hoc vanitas est.

HOminum animos valdę occupat dominandi cupido; eaque cum omnes, tum præcipue excelsiores animos splendidioraque ingenia petit acrius. Verum, quantum molestiæ, quantumque mordacis curę secum id afferat, ferè nulla potest explicari ratione. Torquentur namque acerbissimè ne suo imperio subiecti deficiāt ab ipsis, rerum summam deferant nouo: Inimicorū imminente impetu, plerumque affliguntur: Ipsius imperij administratione assidue infestis curæ solicitudinibus miserrimis contabescunt: vt amentissimus is iure iudicetur, qui in tanta perturbationum colluuie fœlicitatem esse ponendam sentiat. Quis enim nesciat præstabilius

ſtabilius cum illo agi, qui in naui vehitur, quam cum eo qui gubernandę nauis munere, occupatur? minuſque laboris eſſe ei qui ſaltat quam ducenti Chorum? Pręterea aggreditur falſam eorum refutare ſententiam, qui fœlicitatis momentum in præclara nominis famęque exiſtimatione locandam autumant: etenim ferè nullus æquo animo à nobis ſuſciperetur labor; niſi ex quo apud homines nominis celebritatē oriendam putamus; neque eſt quod ad hominum vitam vel rectè conſtituendam, vel funditus euertendam, in vtranque partem tātum valeat, quantum ardens quodam laudis & famę deſiderium. Atque eò pertinet quod plerique vt non honeſtate ipſius, tamen ſpecie fucataq; imagine ornari curant: vt gloriæ tam eximium fructum percipiant, proborumque numero hominum habeatur. Verum quid miſerius? quid fœdius? Cum temporis beneficio occultum quodlibet aperiatur, ac vnde gloriam ſibi peruerſa ratione parauerunt, inde turpiſſimis ignominiæ maculis, vt impoſtores & Hypocritę inquinantur. Nam laudis vera ratio, non in hominum eſt opinione conſtituta, ſed in ſolido fundamento virtutis: cuius qui inueniuntur expertes, ab illa etiam excludendos eſſe nemini dubitare licet. Ecquæ itaque fœlicitatis eſt ratio, in ijs quæ propria non approbat conſcientia? & ita ſunt lubrica, vt in turbulētiſſimis populi rumoribus nitātur? qui etiā exiguis regionibus cōtinētur & intra breue tēpus extinguūtur? Et quāuis in omnes nationes effunderētur, atq; in ætatē longiſſimā propagarentur, illis tamen qui infinitam cæleſtiū Regionū magnitudinē animo peregrinātur & æui æternitatem cōſiderāt, nihil magnū eſſe poteſt, quod ſit terræ anguſtijs inclusum, & aliquando tandem vetuſtate conſumendum. Omnis enim rerum humanarum memoria neceſſe eſt, tandem obſcuretur, & euaneſcat, & obliuione ſempiterna deleatur. Quo fit vt inaniſſimus ſit ille ſenſus, quo quis ſœlicem ſe minimè dubitat, quod dū in hac luce eſt, velut honeſtus homo & pietatis amator, & cultor, celebratur. Cum (velit nolit) eò res decidet, vt vanis hominum rumuſculis ſublatis, ſupplicio & ignominia ſempiterna ſub tartarum recludatur. Siqui- 1. Cho. 10

dem non qui seipsum cõmendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Quamquam sententiæ vis germana de nominis obscuratione sit exponenda. Ij enim sepeliri dicuntur, quorum memoria obliuione deletur.

Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Attamen peccator ex eo quod centies faciat malum, & per patientiam substētatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deū, qui verentur faciem eius. Non sit bonum impio, neque prolongentur dies eius, sed quasi vmbra transeant, qui non timent faciem Domini.

TAnta est prauitatis nostræ colluuies vt ea quę ob nostri salutem prouidit Deus, ad nostram ipsi perniciem conuertamus. Nam benignitatis diuinæ qua non statim de nefarijs hominibus vindictam sumit, nullam isti rationem habēt: sed impudentius omnium scelerum fœditates diuini numinis timore abiecto moliuntur. Hos obiurgans Apostolus aiebat. An ignoras quod patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, tu autem secūdum duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ? &c. Neque enim quia patratis criminibus non illico meritas pœnas constitutaque supplicia luunt impij, idcirco arbitrandum est inulta remanere. Lento enim (vt quidā ait) diuina procedit ira, tarditatemq; supplicij, grauitate cōpensat. Atq; eo spectat quod ficulneæ infructuosę cū exitiū pararet Dominus, licet ad preces villici, eiusdē suppliciū per annū prorogarit, tamen costantissimè fuit dictum: sin autē fructū non tulerit, in futuro succides eā: adeo falsum est; fieri posse vt perditi homines, nisi resipiscāt, supplicio liberentur. Quod enim tam ratum tamque firmū, atque cunctorum hominum quęstionem habendam, debitasque pœnas sceleribus rependēdas in die illo, quo etiam occulta hominum iudicabit Deus? Debemus igitur ad pietatis officia acrius inflamari, dum tantam Dei patientiam toleran-dis

Rom. 2.

Luc. c. 13.

Rom. 3.

dis maleficijs animaduertimus. Ex cuius quidem benignitatis ratione, vt inquinatissimi homines segetem in crimina labendi ampliorem sumunt, ita pij rectæ actionis incitamentum referunt: tandemque ijs insistentes, diuinamque vim extimescentes, æternæ iucũditatis fructum percipient. Hinc prophetarum oracula fatentur. Væ impio in malum quoniã fructum adinuentionum suarum comedet: tametsi modo incredibili patientia fert illas Deus. Contra. Dicite iusto quoniam bene. Manet enim eum quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. In extrema vero sententiæ parte plurima impijs sapiens mala imprecatur: præcipue vero vt diuturnum vitæ cursum non conficiant: Etenim non quidem ignoratione, aut imbecillitate naturæ, sed consulto & proposito malo vitijs seipsos dedunt, vitæque diuturnitas, ad resipiscẽdum præsertim eis data, tantũ abest vt reuocet eos à scelere, vt tẽporis productione prorogetur iniquitas. Itaque præstat atque adeo clementię loco habendum est, celerius ex hac luce vocari, ne facinorum numero aucto, suppliciorũ quoque vis excrescat & acuatur. Vmbrę vero methaphora vitæ celeritatem & lubricitatem ob mentis oculos ponit. Quare Iob. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. Dauid etiam. Dies mei sicut vmbra prætereunt.

Esa. c. 3. Esa. c. 3. Esa. c. 64. 1. Chor. 2. Iob. c. 13. Psal. 143.

Est & alia vanitas, quam vidi sub sole. Sunt iusti quibus mala proueniunt quasi opera egerint impiorum: & sunt impij qui ita securi sunt, quasi iustorum facta habeant: sed & hoc vanissimum iudico. Laudaui igitur lætitiam quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferet de labore suo, omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole. Et apposui cor meum, vt scirem sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in terra. Est homo qui

diebus & noctibus somnum non capit oculis, & intellexi quod omnium operum Dei nullam poßit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole: & quanto plus laborauerit ad quærendum, tanto minus inueniet: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Omnia hæc tractaui in corde meo vt curiosè intelligerem.

TRia sunt quę in huius capitis residua parte, Salomō explicat. Primo hanc vitam in offensionem, summamque inuidiam adducit: ex quo non pro eo, ac decet, rerum euenta moderantur: nam & probis innumeri casus singulis fere horis extimescendi impendent; calamitates inferuntur; conficiuntur curis. At improbi omni fortunæ flatu secundo perfruuntur, serena eius fronte recreantur, omnia ad voluntatē eis fluunt, vt amarissimi sit stomaci & acerbissimæ querelæ, animo hæc colligere. Ac ea re cōfectus tædio vates dicebat. Quare via impiorum prosperatur? Ac Dauid. Mei autem pedes pœnè moti sunt, pœnè effusi sunt gressus mei: quia Zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns: & quæ sequūtur. Deinde laudis loco ponit: vt harum rerum ocultarum; diuiniq; iudicij perscrutatione dimissa, lęte se gerat, rebusq; ad suum & vsum & commodum fruatur: sic enim huius vitæ calamitates facile leniet, atque munerum diuinorum nostri causa ab optimo Deo effectorum veram rationem inibit. Et quidem tanta rerum varietas, terrenarum atque cælestiū; nom eam ab rem opifex summus effecit, vt mollitia fluentes effeminatam vitam duceremus, sed vt ijs substentantes vitā rectis actionibus ad ęternitatem contenderemus. Tertio inanitatem ostendit eorum hominum, qui noctes diesq; se excruciant vt cognoscant; cur fit, vt cum Deus iustitiæ sit fons plenissimus, supremaque ratio, atque huic Mundo præsideat ipsum tuens moderans atque disponens; tamen tanta rerum momenta varia, dispares casus, eosque non ex ordine distributos, mortalibus accidere videamus? Etenim vt rerum species apparet: qui piè honestèque vitam traducit, nihil perturba-

Hier. 13.
Psal. 72.

turbationis,nihil angoris,nihil afflictionis experire deberet: quod cursus eius vitæ diuina præceptione dirigitur: vt appellere ad portum,ac in tuto consistere iustum esset. Improbi vero cum ab honestate, totaque ipsa mente desciscãt; par esset innumeris fortunæ telis confici, incommodis agitari, calamitatibus premi, quod cæca mente ac præcipiti animo, in omne scœlus incurrunt. Verumenimuero,etiam si maximo studio,summis vigilijs,atque adeo tota contentione animi,in eam perscrutationem incumbamus: vt multæ eruantur causæ: vel leuiorum criminum expiatio; vel amplificatio meriti: & quæ sunt huius loci: numquam tamen vera solidaq; huiusce rei patefiet ratio:& non nisi amentissimè hanc scientiam se esse consecutum quispiam iactitabit:quando latent hæc ipsa in abditissimo diuinæ sapientiæ sinu: & si rectè sapimus in id temporis eiusmodi inquisitionem reijciemus: quo, dominus iustitias iudicabit, & manifesta erunt abscondita cordis nostri. Itaque tantum abest vt diuini iudicij perscrutatio cõferat ad fœlicitatem, vt mirandum in modum, inanitatem sapiat, & cruciatum afferat.

Psal. 74.

1. Cho. 4

CAPVT

CAPVT NONVM.

Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: tamen nescit homo vtrum dignus sit odio vel amore; sed omnia in futurum seruantur incerta: eò quod vniuersa æque eueniunt iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnenti, sicut bonus sic & peccator; vt periurus ita qui verum Deierat. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eueniunt; vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu, in vita sua, & post hæc ad inferos deducuntur.

EORVM modo reprimere temeritatem pergit: qui suis tantum actionibus, & sapientia, nixi: certos sese sempiternis bonis potitos iri persuasum habent. Quod quam sit inane & temeritatis plenissimum, sapiens magno (vt ipse ait) adhibito studio perquisiuit, & reperit. Et quidem nostras actiones omnes sitas in Dei potestate dicit: qui (vt verbis vtar Apostoli) nouit qui sunt eius. Atq; vt idem ipse saluator asserit: oues meę vocem meam audiũt, & ego agnosco eas & sequuntur me. Cæterorum autem nemo, grata ne sint Deo, an inuisa opera scire potest. Cũ enim nostrorum operum grata, inuisaue ratio ex Dei pendeat vel approbatione vel improbatione: qui fieri potest vt rationis ductu ac lumine, cuiquę fiat exploratum? Primum nobis quamdiu in hac vita sumus, compertum esse nõ potest: num actiones nostræ ijs numeris (vt aiunt) elaboratæ sint, quorũ ab ipso omnium authore præceptiones sunt traditæ. Esto namque incommoda alacri excelsoque animo feras, quis fidem faciet, certam dico, te non inani insolentia in hoc opere eleuatum, puramque ipsius Dei laudem spectasse? Profecto prauum est cor hominis, & inscrutabile. Deinde, vt extẽt planè

2.Tim. 2.
Ioan. c. 10
Hier. c. 17

planè non negligenda pietatis signa, ex quibus fit, vt diuinæ gratię aliquam verisimilem probabilemq; colligere coniectura possimus: quare Dominus. Qui ex Deo est verba Dei audit: tamen certi aliquid atque firmi consequi animo non valemus; quod illa ipsa cadere in fallacem hominem nihil prohibet. Quocirca sunt hæc omnia in vnum diem reijcienda quo manifestabit Deus abscondita tenebrarum, & consilia cordium: vel ad pręcipuum Dei afflatum referenda, qui scrutatur etiam profunda Dei. Modo autem cum in certaminis loco commoremur; habeamusque versutissimos hostes omni crudelitate grassantes, quique varios & violentos impetus atque versutos in nos faciunt; vt difficillimũ sit grauem aliquam plagam non accipere: accuratam de victoria consequi cognitionem nequimus. Vnde Apostolus. Non quod comprehenderim, aut perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam: in quo comprehensus sum à Christo. Semper ergo cum nondum è certamine excesserimus, animi pendẽdum est: cum timore etiam & tremore nostræ saluti danda opera. Huc enim id attinet. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Cuius quidem ambiguitatis ratio inde manat: quod nullum certum diuinæ gratiæ signum hoc tempore habetur. Siquidem promiscue secundæ res, atque aduersæ, probis ęque ac improbis, pijs atque impijs, facinorosis vt honestissimis eueniunt. Quod vsq; adeo mentis oculos excęcat, atque in omne vitiorum genus præcipitat; vt nihil magis, nec iniuria: bonarum enim malarumque rerum sublato delectu, nullum huic Mundo pręsidere numen, perditissimi isti homines arbitrantur. Quocirca omne ius, fas, & honestatem contemnentes, tandem vt ad inferorũ calamitates miserrimas ruant, necesse est. De quibus Apostolus aiebat. Quorum finis interitus. Verumenimuero & si ista sententia, omnis est salutis nostræ temeraria fidentia tollenda; sitque Deo cum timore obtemperandum: non tamen quicquam huic sententiæ absurdum existimari debet: si pios homines, & honestatis cultores, ea animi tranquillitate potiri asseramus: vt quoquo pacto suæ salutis bonam spẽ

Ioan. c. 8.
1. Cho. c. 4
1. Cho. c. 2
Phil. c. 3.
2. Chor. 7.
Apoc. c. 3.
Phil. c. 3.
Psal. 2.

con-

titia panem tuum, & bibe, cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera mea.

QVamquam aliquis caducæ huius vitæ incommoda cō quisitis vndique voluptatibus conaretur effugere;eaque iucūditatis lenocinio delinire: tamē nulla adest ad mortem excludendam ratio;quin eius iniuria omnibus rebus destituatur. Etenim, vt natura rebus omnibus nostro ortu attulit facultatem vtendi: ita dimittendi nostro interitu stabilem necessitatem imposuit. Qui enim fieri potest,vt rerū omnium mors nos possessione,non spoliet: cum ipsius etiam vitæ iacturam afferat? Et quidem natura semel nobis viuendi auram,cum non essemus, indulsit: ea tamen lege,vt si id repetat: neque ius, neque fas quoquo modo violetur: quinimo,cum mori moleste ferimus,duplici nos iniustitiæ labe inficimus: & quod cum simus mortales,conditiones requirimus immortalium, & grauemur id reddere, quod acceperamus vtendum. Ac vero mors,malum ne sit, an bonum,nihil interest:adeo nos celerime occupabit,vt præclare vita sit nostra definita. Vapor ad modicum parens & deinceps exterminabitur. Siquidē modo pueri, modo adolescentes,in cursu à tergo insequens, nec opinantes insequitur senectus, apparatus ad mortem: sæpius autem senectutis beneficio priuati funesta mors vel febri vel gladio acerbisq; alijs modis vitæ nostræ tamen præcidit. Contemnamus itaque omnes ineptias,totamque vim bene viuēdi,in animi robore ac magnitudine, vt in omni rerum humanarum contemptione ac despicientia, & in omni virtute ponamus. Nam mollis hæc & effeminata pars nostra, eò tandem calamitatis abiectionisque veniet:vt humillimæ sortis res multis nos gradibus antecedant. Semper namque viuens non viuente præferendū existimatur: quod accomodata sententia de Leone & Cane sumpta de medio,sapiēs indicauit. Quis enim ignorat & naturæ præstantia,& virium robore, Cane Leonem præponendum. At si mortuus hic sit,quid aliud quam putridum cada

Iacob. 4.

uer, etiam ab eodem vorandum cane? Sequitur. Viuentes sciunt &c. Licet hic animaduertere, quam sapienter omnes intercludat aditus Salomon quibus lubricas res solatiũ animo allaturas suspicari quisquam possit. Nam & si mors ipsa vitæ tantum subtraheret vsuram, preterea mali nihil afferet: in eam quis cogitationem facile duceretur, vt quia moriendum est, dum viuimus ergo voluptati impensè operam demus. Quæ quidem cogitatio firmissima ratione euertitur. Enimuero, donec in vita permanemus, adest semper carnifici na imminentis mortis timiditas, angor ac cruciatus. Nam (bone Deus) quæ potest esse ei in vita iucunditas, cum dies noctesque illa sese offeret cogitatio: iamiã esse moriendum? Ad quam metã cum deuenerimus, id fiet quod Regius Propheta dicebat. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Sequitur. Amor quoque &c. Cum animo constemus & corpore: illeque & præstantior & potior sit pars nostri: fit vt maiorẽ ex animi actionibus quam corporis, voluptatem capiamus: ideoq; dici posset. Quamquam morte corporis, voluptates finiri necesse est: quid prohibet in ijs quæ ad animum spectant, nos ipsos recreare ac oblectare? Quod quam sit à veritate alienum, in triplici affectionũ genere, quibus magnopere afficimur modo explicat. Id demum colligens: quod præterquam & ipsa morte veterascunt, atque intereunt; nihil tamen in hac vita ad animi adhibendam quietem, momẽti habent. Id enim notionis subest; Verbo illi. Nec habẽt partem in hoc sęculo. Amor namq; quo quidem in amato conquiescimus, magnam ipse voluptatem continere videtur. Si quidem potiori ratione amor, animi vitam tuetur, quã corporis animus. Excitat namque hominem, vt amati causa, magna & moliatur & perferat: pascitur eius memoria, oblectatur colloquio, fruitur præsentia: vt nihil iucundius, nihil voluptuosius amore videatur. Verum (vt omittamus) quod plerumque flagitiosus est, atque obscenus: vix namque quisquã vel deformem adolescentem, vel formosum amabit senem (vt ait Cicero; solicitus tamen est) anxius atque lubricus: ipsa etiam

Psal. 145.

sa etiam perturbatio mentis, Zelotipię, suspicionis, quæ cum illo ferè semper coniuncta est, per se fœda est. De inuidentia autē, & odio, quid loquar? cum sequatur id quidem mentis conturbatio, ira, cædes immanes. Ex illa autem alienis ex bonis excrucians mœror, angor, lamentio afflictatio, quę miserabiliter animum conficiunt: ac nisi morte finirentur: sempiternum malum haberemus. Nunc vero videmus calcem ad quem cum venerimus nihil erit negotij, nihil curæ: modo pietatem rectumque viuendi genus ex animo colamus. Sequitur. Vade &c. Optima sane ratione vtitur: cum enim acerbissimis doloribus varijsque luctuosis molestijs vitam nostram agitari docuisset: nullamque in hac vita animi leuationem superesse: ad naturæ nos mediocritatē vocat: quę quidem paruo cultu contenta est: quam si sectaremus magnis calamitatibus liberaremur. Etenim quid fœdius quam heluones isti fœdissimè ructantes, sudore luridi, non modo est, sed ne cogitari potestę Confer, quęso, eos ipsos cum ijs, qui victus frugalitate vtentes, nullo exquisito condimento, epularumue magnifico apparatu vitam istam tuetur: & tum intelliges eos qui maximè voluptatem sequuntur, minime consequi. Quæ quidem in desiderio posita est, non in satietate. Vanas itaque curas reijcere his rationibus persuadet. Et vero etiam, vt meritorum nostrorum disquisitione abiecta; atque adeo, cur tam pijs quam improbis, cum mala tum bona accidant: ijs quę ab omnium parente natura producta sunt, vel nostra industria comparata bonis vtamur mediocritate seruata, mirifice cohortatur. Siue enim ea ad sobolē procreandam spectant vt vxor, siue esculenta sint & poculēta ad vitam tuendam accomodata: eum ad finem rerum omnium effector procreauit, vt vteremur. Quare Apostolus. Nihil reijciendū censet, quod cum gratiarū actione percipitur. 1. Tim. 4.

Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat: perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ: qui dati sunt

tibi sub sole; omni tempore vanitatis tuæ. Hæc est enim pars in vita, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

PRofectò per se satis est in omnẽ partem calamitosa hæc vita. Quare insensissimus sibi ille est; qui arbitratu proprio acriores molestias ad eam addit: vt mærore tandem oppressus pereat. Cui malo remedium affert Salomon: & censet non modo mordacibus reiectis curis, nostrum ad vsum Dei munera conuertenda: sed etiam vt vestimentis vtamur candidis, lętitiamq; afferentibus quæ quidem ex olei perfusione notatur. Hinc illud. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Mos enim antiquorum erat, lætitię causa, oleo seipsos perfundere. In quam sententiam Euangelium habet. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum & faciem tuam laua. Vt enim Deo optimo maximo demissus animus ac humilis mirificè probetur: tamen peccati virus eas in nos acerbitates inuexit: florere autem nos ac lætari, quæ à principio munera dedit prorsus efflagitant: quod eius imago sumus, quod cœlitibus pares, quod æterna iucunditas in premium præparata, quod tãdem nostri similis, nostri causa effectus est: profligauit peccatum, euertit demones, in filiorum numerũ nos recipit: vt iure merito peccati sublata ratione, id Apostoli vsurpandum sit, huic sententiæ satis congruens. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Vt vero & Dei cultus propagetur, & vitæ miserias leniamus; vxoris contubernio in huius vitæ inconstãtia & inanitate perfrui, nihil detrahit, aut de Religione minuit: quod in mundi exordio societatis id fœdus Deus sanciuit. Relinquet, homo patrem & matrẽ, & adherebit vxori suæ. Omniũq; institutor Christus, nuptiarũ celebritatẽ præsentia propria decorauit, auxit, probauit. Sic enim fit, vt alter alterius ope homo adiutus, vitæ incommoda facilius ferre, & senectutis imbecillitatẽ sustinere possit: atque carnis libidinis & peccata, matrimonij vsu facilius vitabit. Vnusquisque D. Apostolus scribit, propter fornicationẽ suam habeat vxorem, & vnaquęq; virum suum habeat.

Psal. 44.

Matt. 6.

Phil. c. 3.

Genes. c. 1

Ioan. c. 2

1. Chor. 7.

Quod non omnibus aucto nunc generi humano,pro lege da tur necessaria,quin & virginitas summopere commendatur: cum matrimonij statu sit prestãtior,maioremque in se perfe ctionem & sanctitatem contineat. Dominus enim noster ita docuit. Qui potest capere capiat. Et Apostolus, de virginibus præceptum non habeo,consilium autem do;tribulationem autem carnis habebũt huiusmodi: quam vt leniremus, dixit. Vnusquisq; habeat vxorem. Isthęc ergo turbidissimis neglectis curis,in hac peregrinatione, nostra est portio,eũq; in tanta rerum calamitate nostris laboribus iustis, capimus fructum: expectantes beatam spem,& aduentum gloriæ ma gni Dei: qui reformabit corpus humilitatis nostræ configu ratum corpori claritati suæ.

Mat.c.19.
1.Chor.7.
Tit. c. 2.
Phil. c. 3.

Quodcunque facere potest manus tua,instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia,neque scientia sunt apud inferos, quos tu properas.

Rerum omnium opifex & administrator Deus,homines non ea lege creauit,vt ociosi ac desides vitam agerent: verum, vt quisq; negotium suum exerceret,rectisque actionibus mentem excoleret. Nam tantum abest, vt nos laboribus debeamus indulgere hoc sęculo,vt neque primus parẽs in voluptatis domicilio collocatus ad vacandum fuerit. Ita enim originibus legitur. Posuit eum in Paradiso voluptatis,vt operaretur & custodiret illud. Idque eò minus est faciendum, quo natura ipsa desidem cessantemque alicuius vim magnoperè abhorret. Ex quibus licet eorum deprauatam refellere sententiam, qui nostrorum operum vim non non esse ad salutẽ necessariã,non minus impiè quã imperitè censere. Hinc Dominus.Si vis ad vitã ingredi serua mãdata. Iteq; D.Iacobus.Fides sine operibus mortua est,Quorũ sane studiũ, vt omni cõtentione sequamur, cõcionator hortatur. Nã & admodũ breue actionis tẽpus est; ꝙ mors ꝓpter incertos casus quotidie ĩminet,&,ꝓpter breuitatẽ vitę lõgè abesse

Genes.c.2.
Mat.c.19.
Cap. 2.

non

non poteſt: & poſt eam, nulla relinquetur bonarum actionum via & ob præſtitum officium ratio meritorum. Itaque decens eſt & neceſſarium inertiam fugere: quippe cum poſt obitum, id tantum eſt, vt vel præmia ex pijs actionibus referamus, vel ex maleficijs ſupplicia luamus. Enitendum eſt ergo, nulla mora, omni cunctatione abiecta, dũ lucis vſura fruimur; honeſtis pijſque functionibus operam dare: tale namque ſpatium vt ſaluti noſtræ consuleremus, nobis eſt a Deo tributum. Ob eamque rem Apoſtolus. Dum tempus habemus (inquit) operemur bonum. Quoniam Saluatore teſte. Veniet nox, in qua nemo poteſt operari: tempus ſcilicet illud ſpectans; in quo ex hac vita excedemus, diuinamq; promerẽdi fœlicitatem nulla relinquetur temporis ratio. Mors vero ſacrarum literarum more: inferni nomine aptè refertur: ac in id ſpectat, illud Dauidis. In inferno autem quis confitebitur tibi? Quamquam veraciter & eruditè etiam abdita illa receptacula, in quibus mortuorum animæ, vel purgandæ, vel cruciandæ recipiuntur, infernũ nuncupatur. De quo idem vates. Non derelinques animam meam ininferno. Tamen accommodatior mihi hæc explicatio viſa eſt. Siquidẽ quod de miſero illo domicilio in quo damnatorum animæ crucientur, non de morte & ſepulchro explanãdum ſit: mihi ſane non probatur: ad eam enim ſceleratorum ſedem, non omnes properãt: quoniam diuino nixi auxilio rectiſq; actionibus inſtructi multi, in cœlum euolant: vt non conſentaneũ videatur id quod dicitur: idcirco eſſe laborãdum, quoniam ad inferos properamus. Si enim fidem honeſtis, pijſq; actionibus perficiamus, in eaque conſtanti firmoque vſq; ad mortem animo maneamus, minime dubium quin cœlo, non inferno recipiemur. Quod vero apud inferos poſt mortem ſcilicet, & ſepulchrum, neque operis, neque ſapientiæ, & ſcientiæ, ratio vlla remanet: id quidem ea ratione intelligendum eſt; vt hæc ipſa ſiue ad beatitudinem comparandam, ſiue ad ſempiterna ſupplicia euadenda, momenti nihil habere, doceatur. Quoniam cum probi æterno æuo laudibus Deum efferent: improbi vero nullo fine maledictis exagitent: in

Gal. 3.
Ioan. c. 9
Pſal. 6.
Pſal. 15.

actione profectò erunt. Et verò etiam, cum ij suæ gloriæ ab istorum miseria: isti autem eorum fœlicitatis ab ipsorum calamitate discrimen sentiant, rationis planè opere & actione vtentur. Neque est secus de scientia, ac sapientia iudicandū. Quæ quidem tum omnino omni ex parte consentient veritati, si de præmio vel supplicio solido ac pręcipuo (& vt aiūt essentiali) interpretentur: honorarium vero, quodque ad præcipuum, vt ornamentum, accedit; negandum non est, aliquam post obitum suscipere accessionem posse. Beati namque cum eorum vel gesta celebrantur, vel eorum meritis mira portenta efficiuntur, vel ex hoc stadio excedentes pij in eorum societatem veniunt, nouo sanè perfundūtur gaudio. Pari modo perditi illi si suis vel exemplis vel libris prauas ad sentētias fœdasque actiones quisquam labatur atq; adeo infinitum erumnarum pelagus in sceleratorū sede patiatur, ob id acriori nouoque angore torquentur.

Verti me ad aliud & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus.

MVltis præ ocio operandi studiū laudibus extulit: quippe quod non nullam animi leuationem afferre videretur. Modo quam sit quælibet nostra actio, ad tranquillitatem adducendam inanis & imbecilla patenter explicat: vt tandem in vno eodemq; Deo spes nostras collocemus. Itaque vt magnā ad aliquod opus efficiendum curam & diligētiam conferamus, simusque facti ad agendum à natura aptissimi: temporis, tamen fortunæq; iniquitate ac iniurijs, frustratam plerunque speciem nostram re ipsa cognoscemus. Ita nihil est certi, nihilque solidi, nihil ferè quod fluat ad voluntatem nostris in rebus. Quod quidem non obscuris vsus rationibus sapiens, patefecit. Sit enim aliquis naturæ beneficio, exercitationisque industria currendi ratione præclarus, descendatque cum alio in certamen: casus quandoque feret

vt cur-

vt curſus victoriã concedat ei, qui tardior ſit & imbecillior.
Quod fiet, curſore ipſo vel caſu labente, vel extemporanea membrorum imbecillitate ingruente: vt in eiuſmodi certaminibus nonnunquam accidit. At qui cum fortuna plurimũ in rebus cæteris dominetur, in bellicis autem quam maximè. Sæpius namque fortiſſimos quoſque ab ignauibus cæſos memoriæ eſt proditum. Nam vt omittamus fœmellam Iudit, clariſſimum ducem Holofernem interfeciſſe; eaque ratione vniuerſum exercitum profligatum: tamen & xerxes, & Romanorum nonnulli Principes, copiarum ſuarum fortunę iniquitate miſerrimam cladem acceperunt. Quod tamen diuino numini permittẽti acceptum ferre, debetur. Sequitur. Neque ſapientum panem. Vide in quam deterrimam adducamur calamitatem : cum ijs parandis, quæ ad vitam attinet ſuſtentandam, quæque panis appellatione notantur: nihil plerunque ſapientia momenti habet. Vel quod ſæpe maximos ſumptus, ſummumque laborem ac ſudorem nullus fructus conſequitur; cum fruges datæ in deteriorem ſegetẽ vel ſuccreſcentiũ agreſtium aſperitate opprimũtur, nimbis, vento, grandine, vredine, perculſæ & proſtratæ intereunt: vt omnis anni labor ſapientięque induſtria, aliqua cœli vel terræ calamitate exiguo tempore inanis fiat. At jis qui nec tantum ſumpſere laboris, nec ita prudenter agriculturæ artem exercuerũt, nihil eiuſmodi incommodorum eueniant: quin vberes ac ſuauiſſimos fructus percipiant. Poteſt autem alio modo explicari. Vt intelligamus, ignauos quoſque, ac nebulones frequentius omnibus abundare delitijs: ſapientes vero quorum vitæ natura maxime proſpicere deberet, plerunque famæ exagitari. Accedit etiam quod Reges opibuſque inſtructi, ne minimam quidem ſapientum rationem habent: ſcurris potius, & aſſentatoribus ſua tribuũt. Quod quam ſit calamitoſum quis non videat? Sequitur. Nec doctorum diuitias: Quarum cum diſtribuitrix ſit cæca fortuna, opulentia inquinatiſſimis hominibus contingit: inopia autem eruditi quique opprimuntur: Deo ſit ſinente, quam eruditionis diuitias tribuit illis, quarum ope tranquilliorem ducere

Iudit. 3.

vitam

vitam queunt. Nec artificum gratiã. Opificia nostra magno & labore, & ingenio elaborata, eximiam ferè hominum solent sibi conciliare gratiam. At qui hanc ipsam ita fortunæ perturbatio plerunque confundit: vt sæpius inepta, absurdaque opificum opera probentur magis vulgi principumq; iudicio: quam quæ miro artificio refulgent. Nostis ne quam frequenter insulsus pedagogus, potiorẽ erudito philosopho in principum aulis ne dicã in populis locum obtineat? Quã frequentius præclarorum pictorum elaboratæ, amplaque arte imagines confictæ, ne flocci quidem ducuntur: quæ vero nulla ferè ratione, sed tantum incondita colorum varietate exprimuntur, imperitorum animos vehementius capiant? Omnia itaque temporis fortunæque temeritate nullo iure versantur: vt non adhortationibus sint adducendi, sed cathenis & loris constringẽdi; qui in his rebus mortalibus animi pacem virtutisue pręmia collocare non desinunt. Quod quidem licet casui, & fortunæ tribuatur, id tamẽ summi Dei nutu euenire fatendum est: vt his calamitatibus tanquam tempestate iactati, in vno ipso Deo vt portu conquiescamus. Id enim etiam spectabat, Oseas cum diceret. Sequetur amatores suos, carnis videlicet oblectationes, inanesq; hominum auras; & non apprehendet: hoc est: animi vis non explebitur: tunc dicet, reuertar ad virum meum priorem, quia melius mihi erat tunc, magis quam nunc.

Cap. 2.

Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo superueniet.

AMplus & accuratus à Saluatore nostro de nostri obitus incerta hora sermo est habitus. Nam (inquit) Vigilate quia nescitis diem ne horam. Atque iterum. Si sciret pater familias, qua hora fur veniret; Vigilaret vtique &c. Itemq; Apostolus. Dies domini sicut fur in nocte, ita veniet. Quod quidem ea ratione dictum esse arbitrãdum est, quod hæc cogitatio desides nos, & ociosos esse minimè sinit, quin

Mar. c. 13.

Matt. 3.

1. Thes. 5.

in summam solicitudinem & solertiam nos adducit: dum qua veniat hora ignorantes: horis omnibus paratos nos, & rectè institutos adhibemus. Accedit etiã quod nihil ad mortalia hæc despicienda acrius animum perurget: quam si ex hoc theatro singulis penè momentis nos excessuros vereamur. Tum enim fiet vt quæ in illo geruntur omnia, haud quaquam pertinere ad nos existimemus. Sic igitur nescit homo finem suum; tempus (videlicet) definitum cum ex hac vita excedet. Quod peruenusta auium pisciumue extemporanea captione dilucidè notatur. Aues namque dum sese optata vesci esca, varioque pennarum volatu perfrui, & oblectari sentiunt: laqueo miserè implicantur. Pisces quoque dum alacriter maris vndas percurendo, vndarum copuolutionibus saltitando, aliorumue pisciculorum, prædam comparando, maximam capiunt voluptatem, hamo infeliciter retinentur. Haud secus mortales dum vitæ huius commodis suauitatiq; se dedunt, hinc morte repentina sublati, omnibus destituuntur. Quare Vates. Exibit (inquit) spiritus reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Atque eò spectat, quod in sacris literis habetur. Ducunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descẽdunt. Tẽpus autem mortis malum dixit. quod reuera pœna primeue labis est; ac improbis in æternum malum patens porta. Pijs vero ad æterna gaudia apertus aditus: quos à malis abducit, non à bonis, ac ea re non mediocre bonum. Vnde Apostolus. Scimus quod si terestris domus nostræ habitationis dissoluatur: tabernaculum habebimus, non manufactum æternum in cœlis.

Psal. 144.

Iob. ca. 21.

2. Cho. 5

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximã. Ciuitas parua & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus & vallauit eam: extrusitque munitiones per girum, & perfecta est obsidio: inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit Vrbem per sapientiam suam

& nullus deinceps recordatus est pauperis illius: & dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

REferendæ gratiæ ratio ita natura omnibus ingenerata est, vt nullus tam barbarus sit, tamque ferus, qui vim illius in seipso non cognoscat. Nihil enim minus hominis videtur esse, quam vicem ei non repēdere à quo beneficio fueris affectus. Attamen eò perditi mores nos deducunt, vt plērunque nō solum ob prǽstita merita bene merentem aliquo loco habeamus: sed pernitioso ingrati animi veneno dirissimè appetamus. Ecce misera Ciuitas atque modica, nullis instruta copijs, nullo munita robore à potentissimo quoque ad excidium vsque cingitur obsidione: vt procul dubio vltimam experiretur calamitatē, nisi ei subsidio quisquam foret. Accedit sapiens rerum tamen inops, idq; in tanto rerum discrimine consilij capit, vt obsidione septa Ciuitas liberetur. Quod quidem viribus pollentes, præstare nequiuerunt. Quis ergo eiusmodi pauperem, partam ob salutem, non laudibus cœlum vsque feret, innumerisque beneficijs, præ omnibus etiam principibus, afficiendum asseret? Verumenimuero hominū adeo est peruersum iudicium, perditi mores, vt non rerum momenta spectent, sed personarum: quô fit vt beneficium à paupere collatum nullo habeatur loco: neq; meritum salutis præstitæ referat præmium. Quod certè maximè nostris tēporibus calamitosum est: dum munera obeunda minimè ijs qui virtute ac animi celsitudine substinere queunt, deferuntur: sed potentia præditis, generisue splendore decoratis committuntur sepe: tametsi nihil quod ad ea præstanda, attinet, eluceat in eis. Ex quo efficitur vt vndequaque rerum administratio labefatetur & pereat. Sæpius namque imbellibus, claro tamen genere, ortis; belli summa committitur: nonnunquam de rebus arduis legationis munus, dignitatisue onus, propinquis, sanguineque cognatis

defertur; quamquã sunt prorsus perficiendę rei scientia vacui. Quid fœdius? quid molestius? quid magis deplorandũ? quam vt sapientia, magistra vitę, vitiorum expultrix, virtutũ altrix, animi lumen, actionum norma, in pauperis tamẽ sinu delitescens, etiam si summa beneficia cõtulerit, diuitijs atq; potentiæ postponatur? tametsi hæc ipsa coniuncta stultitiæ, infinitis ferè partibus, à sapientia superetur? Bene ergo admirans dicit. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita?

Verba sapientum audiuntur in silentio, plusquam clamor Principis inter stultos.

EXpositis calamitatibus medicinam adhibet, sanè satis consentaneam. Etenim, licet animi perturbationibus mentisque morbis oppressi quidam, inopum sapientiam ducant in minimis: tamen numquam deest, qui pro rerum momentis, prudentiæq; meritis honestent eos, ac omni semota controuersia obseruent & obascultant. Atque id est: eorum verba in silẽtio audiri: vt sale cõditã orationẽ, & veritatis plenam, nullo repugnante approbari. Stultus vero quamquam Regia dignitate præfulget, ac vulgo assentationis studioso, suis ſeptijs, verbisq; magnificis & elatis, quibus se iactat, hoc enim est clamare, non verba facere, fide dignus, & veneratione videtur: apud sapientes autem qui ab adulationis artificio longè abhorrent, eius amentia perspicitur & deridetur. Stultos vocat, assentatores, qui rationis abiecto gubernaculo, nullo iure, principum auribus prorsus seruiunt.

Melior est sapientia, quam arma bellica, & qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

QVoniam autem multis hominum vita patet iniurijs: à quibus vindicare se, tum ad vitam degendam, tum ad decorem tuendum, haud minimũ momenti habent arma bellica; quę ipsa etiam adhortante natura cõparauimus. In bellorum

lorum vero ratione,licet non infimas partes corporis vires, animiq; celsitudo vēdicet sibi: tamen primo loco cōsilij vis, & prudentia ducenda est: qua fit vt non temerè,non belluarum more,manū cum hoste cōferamus; sed quem perscribit ipsa, modo adhibito,vt victoriā certa ratione comparemus. Non igitur dubiū est bellicis armis sapiētiam præstare. Huc accedit: ꝙ discordijs & inimicitijs de medio sublatis, nullo vsui arma comprobantur.At sapientia & bellorum disponit rationē,& pacis tempora tuetur,& condecorat.Demum tuētur illa corporis quidē vitam, hæc vero animum à perturbationibus vindicans,menti salutē affert: qua nihil charius, nihil præstabilius comparari potest.Non desciscat igitur à sua sapientia pauper,quamuis contemptui habeatur,& in postremis,cum tam amplā vim in illa sitā perspexerit. Sequitur & qui in vno peccauerit &c. Huius loci explicatio,vt cū antecedentibus consentiat,eo mihi referenda videtur: vt totam plerunq; rem bellicam labefactari intelligamus,si in vno sapientiæ munere peccetur: magnopere namq; ad victoriam capescendā attinent, cōmeatus opulentia,oportunitatū obseruatio,locorū delectus,copiarū ordo instructus;quę quidē a sapientiæ virtute proficisci,ne dubitari quidē potest. Itaq; si desit illa: facile clades magna consequitur.Potest quoque accomodate omni de negotio id explicari. Qui enim modū rectamq; mentis normā,in dictis factisq;, & in omni vita minimè seruat,quicquid agat,tametsi magnū & elaboratū existet,in ruinā manifestā decidet.Demū vt eorum,qui in Theologia disputandi rationē sequuntur, sentētiam in his verbis afferamus. Si quispiam omni studio abhorreat à malis, rectisque actionibus strenuam nauet operam, admittat tamen vel vnum exitiale crimen, profecto eiusdem sceleris fœditate, a Dei beniuolentia disiunctus, sempiternum malum subibit:omniumq; probarum actionū vis extinguetur.Nihil enim eædem ad æternam vitam consequendā prorsus valebunt.Siquidem omnium nostrorum operum vis ex charitatis fonte dimanat: quæ quidem vnius criminis ardore exarescit. Hinc Diuus Iacobus. Qui offenderit (inquit) in vno

factus est omnium reus: quod eo vno à beatorum choro exclusus, supplicijs deputabitur æternis. Tametsi verissimum sit, eum qui plura admiserit, acrioribus affligi cruciatibus.
Cap. 18. Atque hoc nimirum illud est, Apochalipsis. Quantum exaltauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi & tormentorum & luctus. Nec tamen negandum est, rectam viuendi rationem, superueniete nouo crimine conmaculatam, ad caducam huius vitæ fœlicitatem valere; atque etiam, vt Deus optimus maximus mentem immittat eam, qua seipsos circumspiciát, ac resipiscant à malis. Nihil enim cum virtute coniunctũ prę mio vacare potest, apud Deum in primis; cuius sunt omnes viæ, misericordia, & veritas.
Psal. 25.

CAPVT DECIMVM.

Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.

NE quid à ratione alienum dictum esse videretur: quod vnius pnities cæteris labẽ afferet; id modo accomodata rerũ, quæ sensum mouent, similitudine confirmat. Nam licet muscæ parui sint corporis, & magnitudinis: tamen si forte fortuna, prætiosissimo, ac latius redolenti vnguento sese inmergentes depereant; tota præclari ac fragrantis odoris suauitas, eius corpusculi tantũ pernitie, infecta, labefactatur: vt quotidie reipsa cõprobamus. Quid ergo mirum si virtutis bonum exolescat, viuj alicuius longè musca mortua, pernitiosioris, labe corruptum? Cuius rei ea demum ratio est, quod virtus vno in medio sita est; à quo vel quid paululum si quispiam discesserit, vitium profecto incurret. Itaq; patet, quomodo modica à medio a vocatione virtutis vis extinguitur, atq; interit. Quod autẽ muscarum appellatione, vel dęmones vel exitiales pernitiosiq; cogitatus, intelligantur, simulque vnguenti nomen rectam nominis existimationem significet, atq; qua ratione eadem, & improborum cõsuetudine & familiaritate inficiatur: quoniam

niam id, tum ex seipso quispiã facile excogitabit, tum quod pleriq; egregie tradiderunt: consulto præter mittimus; adiungẽtes tantum, nihil esse apud Deum pura precatione fragantius; quam praui cogitatus, vt importunissimę maculæ, inquinant atque contaminant. Qui enim fieri potest vt mente sordida accedentes ad Deum, beneuolentiam colligant, ineant gratiam, cum scriptum sit. Qui diligit cordis munditiã, propter gratiam labiorum suorum amicum habebit Regem? Proue. 22.

Prætiosior est sapientia paruaque gloria, ad tempus stultitia.

AMbiguus ex hac sententia emanat sensus: nam & paruam stultitiam præstare sapientia ac gloria interpretari potest: & sapientiam ac gloriam parua stultitia anteferendam explicari. At hebraicarum literarũ obseruatores: prior ex ijs haberi sensus, non obscurè tradiderunt. Qui ea re mihi probantur magis; quod perspicuum satis est, sapientiam exiguæ stultitiæ præferendam: vt inepta prorsus comparatio fieret, si alia ratione exponeretur. Verumenimuero admodum consentanea explicatio existimanda est: si paruã stultitiam sapientiæ & gloriæ præponamus. Siquidem id prima specie satis videtur absurdum: cum tamen re accuratius considerata, nihil verius. Sunt enim quidam qui amplis elatisque verbis, atque contortolis conclusiunculis, omni de re sermonem & rationem instituunt, nulla temporis seruata ratione, nullo personarum delectu habito; quæ quidem licet eximia videatur sapientia, præclaramque afferre gloriam: tamen nihil reuera stultius; nihil à sapientiæ munere alienius: Quod eius munus est, non modo quid id sit quod dicat, sed quo quique animo, qui cum, quo tempore, quo loco, quamdiu, & quæ sunt huius loci, in omni præcipue sermone, diligenter attẽdere. Quę quidẽ pretermissa si fuerint, vt magnis de rebus ac à natura inuolutis instituatur ratio, tamen stultitiæ notam turpissimam afferunt. Contra qui illis limitibus ad modum se ac rationem conferunt, ac tum rebus inuestigandis, tum etiam in verbis, loci, personæque delectum adhibent,

bent,licet apud imperitos, veluti ſtulti & ineruditi iudicentur, quod non paſſim ſapientiam præſeferant: tamen ſapientum iudicio,quibus placere fœlicitatis eſt inſtar,gloriã merentur eximiam: ac ſapientum numero non excluduntur.

Cor ſapientis in Dextera eius, cor ſtulti in ſiniſtra illius: ſed & in via ſtultus ambulans, cum ipſe ſit inſipiens, omnes ſtultos eſtimat.

AD animum hęc eſſe referenda,ipſa ſermonis ratio ſuadet: neque enim veritati eſt conſentaneum,vt ſapientum corda in dextera,inſipientũ in ſiniſtra parte locata ſint. cum promiſcuè in omnibus ſiniſtra in parte conſtituantur. Quocirca cordis appellatione,cogitatus ipſi,mentiſque agitationes,intelliguntur: quas quidem ſapientes viri,ad res ſerias,graues,ac pręcellentes conferunt:nihil niſi altum,ac honeſtati conſentiens, ſeipſis dignum cogitant: quod caduca hæc atque mortalia animis ſuis longè inferiora ducunt.Stulti autem,quamquam magnificis,& elatis vtantur verbis, inania quædam ac lubrica, nulliuſque dignitatis animo agitãt. Hæc vis illis vocibus, dextera & ſiniſtra plerunque ſubiecta eſt. Quod autem dextera æternę vitę bona ac potiora exprimat; ſiniſtra vero caduca & temporaria, accomodate id quidem dicitur. Etenim quid ſapiẽtius, quam ſtudia ſua ad ęternum decus comparandum referre? Contra, quid ſtultius quam labentibus rebus & inanibus ſui animi ſpem committere?Hinc ſponſa. leua (inquit) eius ſub capite meo,& dextera illius amplexabitur me. Sequitur. Sed & in vita &c. Sapiẽtis id eſſe munus omnium eruditorum aſſerit cõſentió communis; vt cum ſeipſum optime nouerit,de cæteris ſententiã non præcipitet. Siquidem ingentis eſt operis, ac negotium perdifficile,cæterorum hominum vim, mores, naturam noſcere, atque adeo quid verſetur in animo. Vnde Apoſtolus. Nemo ſcit quæ ſunt in homine,niſi ſpiritus hominis.Verum enim ſtultus neglecta cognitione ſui,in via quoque; hoc eſt; nullo adhibito ſtudio, nulla diligentia appoſita, quotquot

1.Chor.1.

homi-

homines stultorum innumerum refert. Quod quidem stultitiæ extrema linea est. Cum enim de rebus cæteris, nisi omnem rationis vim ad earum disquisitionem conferamus, iudicare existimetur nefas: quid de re tam graui tantisq; difficultatibus obstructa, sentiendũ sit, ne dubitare quidẽ debet. At stultus huius rei præ vecordia animi rationẽ nõ assequẽs, mirum non est, si stultissimus cum sit, stultitiæ nota inurat cęteros. Natura enim compatatũ est, vt qualis quisq; fuerit, tales esse alios arbitretur, atq; adeo sui inmoderato amore, deteriores. At qui sapiens haud sic impruděter, sic temerè, alienas metitur vires, deq; omni animi statu pronunciat: exploratũ enim ei est, sępius animũ à rebus externis vultusq; dissětire, & qui vestiũ squalore, corporisq; abiectione stultũ præseferre videtur; plerunq; animi amplitudine, & sapiẽtiæ splendore prępulget. Ex quibus licet colligere, anxios suspiciosos morososq; homines, quosq; leuia quędã signa, impellunt ad iudicandũ, stultitię morbo laborare. Quorũ quidem curatio solius sapiẽtiæ opus est, quæ rerum omnium est moderatrix ac Domina, maximè vero nostrorum animorum cultrix.

Si spiritus potestatem habentis irruerit super te: locum tuum ne deseras, quia curatio cessare faciet peccata maxima.

OPtimam modo affert rationem, qua, in turbatis molestisque rebus animi sedationem, nullo negotio, tueamur. Nempè vt illorum aduersa flatu minimè animum abijciamus: neq; gemẽdo, lamentãdo, fractè & effeminate nos ipsos emolliamus. Est nãq; in animis propè omniũ, molle quodã, demissum, humile, eneruatũ; atq; si nihil aliud esset; quid homine deformius? Sed pręsto est etiã omniũ domina ac Regina ratio, quę vinculis ferè eã partẽ constringẽdo, sibi parere cogit nihilq; nisi turpe, non ferendũ persuadet, quanto id magis cũ ope diuina sit freta. Si itaq; quispiã externa potẽtia inflatus, iraq; exagitatus & impulsus, vt tyranni sanguinarijque homines, hostes proborum (id enim significatur nomine spiritus) aduersus aliquem, suam exerat feritatem, molestijs fame, frigore, ipsa quoque morte conficiendo eum:

locum suum is certè deserere non debet: vt honestate abie-cta, illi cedat: vel Idolis sacrificando, vel eius facinoribus conniuêdo: quin potius sese erigat,instituat,exuscitet,ea cogitatione,vt nihil abiectum,nihil muliebre, viro Christiano præcipuè admittendum esse cênseat:cui æternarum voluptatum fructus, ex ijs fugacibus ac ad pũctum temporis cruciatibus, & molestijs sine dubio proueniet. Hæc itaque animi curatio adhibita,a multis liberum seruabit facinoribus:atq; egregiè in honestatis officio, & loco continebit. Quod sanè prçclara ratione Religionis nostrç inuicti milites præstitere: Act. 5. cũ ante Reges & præsides ducti,ita excelso,elatoq; animo se gerebant; vt contumelias & conuicia,atque adeo supplicia, gloriæ & voluptatis loco ducerent: neq; vnquam quibuslibet minis intentatis,ab hac animi celsitudine abduci vlla ex parte potuerunt. Hinc cum grauissimè Petro & Ioanni à Iudeorum Pontificibus ne Christi doctrinam diffunderent,im positum esset: fidenti animo respondere. Obedire oportet Act. 4. Deo,magis quam hominibus.Atque sic locum suum non dimisere. Quod autem spiritus,iram atque furorem notet: id Cap. 15. sacris ex literis dilucidè habetur. Etenim in libro Exodi.Misisti iram tuam,& in spiritu furoris tui cõgregatæ sunt aquę. Esa. c. 30. Item Esaias vates. Spiritus eius velut torrens inundans. Potest etiam congruenter de sceleratis spiritibus id explicari. Quorum impetu si exagitemur, impellamurque ad prodendum officium,ad turpitudinem sectandam,omni contentione eis refragari debemus,nosque in honestatis ratione & loco continere. Scriptum est enim: Resistite Diabolo & fugiet Iacob. 4. à vobis. Scit enim perditus ille è re sua nõ esse,illis cum bellum gerere,qui animi robore resistentes,præclarius ex dimicatione triumphant: splendidioresque ob prçstitum officiũ etiam oppugnati,coronas referunt.Hinc Apostolus.Non co 2.Thi. c.2 ronabitur,nisi qui legitimè certauerit.

Est malum quod vidi sub sole quasi per errorem egrediens à facie Regis; positum stultum in dignitate sublimi; & diuites

uites sedere deorsum, Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.

QVantas in hominum animos querelas res ista excitet, verbis planè explicari non potest. Dum pro rerum dignitate, personarum momentis, Mundus neutiquam administratur. Principes namque quibus id muneris, à Deo optimo maximo constitutum est, nulla meritorum atque virtutũ dispertiendis muneribus rationem habent: nihil iustitiæ conueniens, nihil rationi consentaneum prorsus spectant: Sed omnia ex animi libidine gerunt, atque assentatoribus, abiectissimisq; seruis omni turpitudine maculatis plerunq; egregias functiones comittunt; ex quo amplissimam sibi parare laudem, & commoda arbitrantur. Sunt namque perditissimi quidam, vitiorum societate principibus apprimè grati, blanditorijsque verbis, atque amplis, cuiusque muneris administrandi ipsis idoneos se probant. Quod certè maximum calamitatum inducit cumulum. Fit enim vt debitus virtuti honos, & cultus minimè tribuatur: nam qui huic sese excolendos tradiderũt; honestatis ac rerum, non autem libidinis, & verborum locupletes se præstare contendunt. Quocirca cũ omni nixu inanem iactantiam, vitiorumque sectatores principes, blanditijs, ementitisque laudibus delinire refugiant, apud eosdẽ qui, rerum summas moderantur, quique adulari sibi cupiunt, ad obeunda munera vt inepti, minusque idonei repudiantur, Accedit quoque, nec generis splendorem, naturæque nobilitatem, à fortunæ telis tectam esse; quando sæpius clara exorti progenie, & quibus ipsa generis celsitudo primum tribuit locum, iacent plerumque, omnique dignitate spoliati seruorum conditionem inopia compellente patiuntur. Contra: videre est, quos generis obscuritas, maiorumque abiectio ad sordida quæque vocat, generosis insidere equis, multorum hominum comitatu stipatos, & fulgẽtissimis vestibus indutos, magnificè incedere. Nihil itaque in rebus ijs, quæ imperio fortunæ subiectæ sunt, firmi, solidi,

atque fructus ineſt. Quandoquidem nec virtutis robur, nec nobilitatis ſplendor, cæce fortunæ tetrum vultum mutare aliqua ratione poteſt, Deo ſic ſinente, vt quæ mundi ſunt ne flocci quidem ducentes; in ipſo tantum ſpes noſtras collocemus, præterea nullo.

Qui fodit foueam incidet in eam: & qui diſsipat ſepem, mordebit eum coluber: qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis.

NIhil eſt ab humanitate, vnde homines dicimur, alienius, quam à natura ſuſceptam ſocietatem violare. Quo fit vt mirum inmodum Deus huius facinoris habeat rationem, nec inultum vllo pacto ſinat abire. Aequum namque eſt, vt qui naturę vinculo coniunctum ſibi perdere ſtudet, à naturę authore in pernitiem præcipitetur. Idque ea fit diligentia, vt eo ipſo malo, quiſque implicetur, cuius miſeria alterum illaqueare inſtituebat; neque mora interponatur vlla neque alia, quem ſua opera euertatur. Ex quo huius criminis immanitas manifeſtatur. Quid enim luctuoſius, quã ſuis quem quam, quibus alios configere parabat, armiſ, occumbere? Quod planè Abſaloni, Iudæ atque Amano eueniſſe memoriæ proditum eſt. Quocirca, inter iuſtitiæ præcipuas partes, ob quas præmia Eximia referemus; id numeratur. Nec fecit proximo ſuo malum. At qui, etiam magnopere eos qui magiſtratos gerunt decet; eiuſmodi perditorum hominum vim euertere, ac comminuere, quo Innocentum vita tuta reddatur. Atque huc ſpectat, quod Dauid horum ſumere vindictã maturabat, dicens. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini, omnes operantes iniquitatem. Cuius quidem ſententiæ ratio quatuor ijs, idem planè referentibus, quamquam diuerſa ratione metaphoræ, continetur, atque exprimitur. Etenim alteri machinari pernitiem metaphorica ratione, fodere foueam eſt: eodem modo qui temere alterius ſpem demolitur. Siquidem vt is qui foueam alteri fodit, in vitæ diſcrimen ipſo caſu ad-

2.Reg.18. Act. 1. Heſt. 7. Pſal. 14. Pſal. 100.

ſu adducit eum: ita poſſeſſiones obijcit ad direptionē quiſquis earum euertit ſepem. Similiter qui circumductam ruri maceriam, lapides diſpergendo diſturbat, eius ruinæ aditum parat. Poſtremo cum frugiferę præciduntur arbores, optati fructus ſpes omnis decidit. Ex quibus certè colligere licet, nullo pacto decede commodi noſtri cauſa, alterum ſpoliare, autem violare. Siquidem tum dirumpi neceſſe eſt, quæ ſecundum naturam eſt, humani generis ſocietas. Quod cum ſit ſceleſtiſſimum, tanto crimini parata ſemper diuino iudicio adeſt vltio. Rectè namque dicit orator. Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet ſibi paratam peſtem, vt participet parem: fœlices igitur non erunt ij, qui aliorum incommodis ſua commoda parant, quos enim dolos bonis machinantur, ijs dolis capientur ipſi & ſcelerū pœnas luent.

Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt prius: ſed hebetatum fuerit: multo labore exacuetur & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.

PRofectò re ipſa cognoſcimus parentem naturam igniculos, atq; ſemina ad omnium virtutum genera animis noſtris indidiſſe, quæ niſi prauis conſuetudinibus obruerentur, ad magnam adoleſcerent frugem. Sed cum non mediocris etiam ſit, naturæ noſtræ ex noſtrorum parentum crimine, prauoque vſu importata imbecillitas, vt maiorem ad turpitudines ſectandas propenſionem habeamus, quam ad honeſtatem collendam: fit vt in omni inanitate & prauitate verſemur: ac penè cū lactè nutricis errorē ſuxiſſe videamur. Minimè tamen loco cedendū eſt, aut honeſtatis ſtudiū deſperādū: fieri.n. poteſt, vt proba educatione, aſſiduis laboribus, honeſtaq; inſtitutione, atq; adeo diuini numinis ope, germanū nobiſq; inſitum à natura virtutis, & ſapientię ſemen fœliciter excolamus. Et quidē donec hac aura veſcimur, vſu, induſtriaq; adhibita, & quæ non habemus poſſumus, conſequi, & ad ea aſcēdere à quibus miſerè ſumus deturbati. Quod quidē dilucidè ac ꝑſpicicuè ex hac ferri metaphora, explicatur.

Nam

Nam ſi ferrũ fuerit acutum,tum dubio procul ad ſcindendũ erit valde accomodatum: ſin forte fortuna,retundetur: ad id operis minus idoneum inuenietur. Fieri tamen poteſt vt hominis induſtria, iterum exacuatur. Non ſecus, ſi res præclarè geſtas,rectaſque functiones,vitiorum colluuie macula ſti & perdidiſti; non tamen facultas adempta eſt,quin induſtriæ vi, ab hac te turpitudine vindices, fructumque ſapientiæ ex ipſa induſtria percipias:qui quidem eſt,vt,iacturę iam factæ reſartiendæ, tuo periculo ſpem atque adeo rationem rectam cõcipias. Nihil igitur nobis mortalibus arduum eſt: ſi curemus in primis,diuino nixi auxilio, adhibitiſque preci bus opem diuinam implorare: nec deſinamus cum vate regio dicere Deduc me in viam mandatorum tuorum. Itemq; redde mihi lætitiam ſalutaris tui. Cuius ſanè excitati luce,a dulci illo quidem,ſed peſtifero vitiorum ſomno,vanis bono rum ſimulachris detectis, ſolida expreſſaque bona complectemur, quæque imagine diuina quam gerimus,digna ſunt, faciemus.

Pſal. 118. Pſal. 59.

Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit.

DEteſtabilem alterum occultè obtrectãdi, libidinem fu giendam hortatur: tum ex eiuſdem ſceleris fœditate, tum ex ſociorum detrimento.Nam incredibile eſt,hac ex pe ſte quam multa,quamq; grauia,& incõmoda,& mala oriantur. Quo quidem vitio tenẽtur,non tantum qui adhibita ca lumnia, falſaque criminatione ſocij exiſtimationem obſcurant: ſed etiam qui augendis,amplificandiſque criminibus, dant operam: & ſi quando quid occultius ab aliquo commiſſum fuerit, quod vbi reſcitũ fuerit, graue aut turpe ſit ad famam;eam rem qui,vbi,quando,quibus,non neceſſe ſit,per vulgarit,is obtrectator & maledicus iure dicitur. Qui etiam tantopere Deo inuiſus eſt,vt dixerit Apoſtolus.Detractores Deo odibiles. Itemque Dauid id mali deteſtans. Detrahentem (inquit) ſecreto proximo ſuo hũc perſequebar. Ex quo effici-

Rom. c. 1. Pſal. 100.

efficitur eorum,qui in magiſtratu ſunt, præcipuum eſſe munus,obtrectatores vlciſci: quod pacis bonum corrumpunt, diſcordias ſerunt,cōminuunt atque euertunt nominis exiſtimationem: quæ æque ac vita chara nobis,ne dicam charior inuenitur. Ac vero hic ſenſus ex ſapientis verbis dilucide affertur. Quid enim horribilius ſerpente, capitali humani generis inimico? Siquidem omnes quotquot ſunt belluæ ad hominis quoquo pacto ſocietatem duci poſſunt: at ſerpentes eius vinculo, nulla queunt ratione cōſtringi. Sed mirā dum in modum concutiunt animos, abſterrent ſpiritus, naturamque hominis totam perturbant. Hinc illud originum. Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius. Nec vero aliter ſeſe obtrectatores habent. Quis enim eos non exhorret? nōn declinat? non incredibile ferè perſequatur inuidia? pacis demolitores, ſocietatis violatores, euerſores fœderis & amicitiæ? Quorum veneno hominum exiſtimatio commaculata ſemel,fieri vix poteſt, aut ne vix quidem,vt ab eiuſdem labe vindicetur? Non ſecus ac ſerpentis morſus nulla ferè medicina curatur. Turpiſſimum igitur ac pernitioſiſſimum cum ſit, tam dirę tamq; ferę belluæ peſtem & immanitatem imitari,præclare apparet,quanta induſtria atque adeo contentione obtrectationis turpiſſimum crimen debeat euitari. Hinc hortatur ſapiens. Remoue à te os prauum,& detrahentia labia ſint procul a te.

Geneſ.c.3

Prouer.4.

Verba ſapientis gratia: & labia inſipientis præcipitabunt eum initium verborum eius ſtultitia; & nouiſſimum oris illius error peſſimus. Stultus verba multiplicat.

SApientes non tam à praua detrahendi conſuetudine alieni ſunt, quam ſua oratione omni reſperſa ſale, magnum hominum conciliant amorem: quippe quæ & animi cogitata complectitur, & explicat planè quod intelligatur. Nihil eſt ibi implicatum,nihil anceps,nihil aberrans,quo vno maxime ſapientis præſtantia eluceſcit. Loquitur enim ita aptè, vt res verbis,verba rebus,optime conſentiant: animum permouet

mouet, honestatis splendorẽ accuratè describit, vitiorum de moſtrat mellitum venenum. Atque eò ſpectat quod eximia cum laude de Chriſto Domino dicitur. Mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius. Itemque etiam hoſtes dixerunt. Nuſquam ſic aliquis locutus eſt. D. etiam Petrus verborum lepore captus dicebat. Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? Quod munus cui Dei benignitate largitum eſt ſiue aſſiduis vigilijs, & laboribus partũ, omni admiratione dignum eſt, omni honore cumulandum. Quid enim eſt vſque adeo ad humanos capiendos animos efficax, quam rerum ac verborũ florentiſſima oratio? At ſtulti ita inconditè, ita intemperanter verba efficiunt: vt ingentem excitent ſtomachum, commoueant bilem; ſeque multas in miſerias prouoluant. Etenim irridentur, vt nebulones, & tanquam ridicula capita ne flocci quidẽ ducuntur. Rerum enim cognitione cum vacẽt, nihil ex ordine, nihil accomodate valent exprimere. Vt rectè ſapiens dicat: eius orationis initiũ eſſe ſtultitiam. Vtitur namque proemio ad cauſam minimè accomodato: & ex quo nihil apte colligitur; finis etiam merus eſt error: nam vno abſurdo dato plura (vt peruulgatum eſt) ſequũtur. Neque ab hac tanta mentis labe reſipiſcere vlla ratione per ſe poteſt: quippe qui ea ingenij vi non pollet, qua repulſum ſe à veritate internoſcere queat. Hinc mordicus, ſuas complectitur ineptias, mirumq; inmodum illis inſiſtit: Vt quiſquis eum ab errore abducere nitatur operam & & tempus ludat. In quem etiam illud conuenit. Verba multiplicat. Rerum namque cum ſit prorſus expers, verborum multitudine ineptiſſimè garrit, ijſque nullo delectu vtitur; repetit eadem ſępius; quæque exordijs congruunt, fini coaptat. Atque (vt vno dicam) nihil in eorum oratione præterquam non ferenda garrulitas inuenitur. Danda eſt igitur aſſidua huic negotio opera; vt quæ ſentimus politè, commodeque poſſimus eloqui: ab his enim eſſe alienum, ſtultorum eſt numero contineri. Quod quidem, vt omnibus fugiendũ ſit: ijs certè magnopere, qui cæteros gubernandi poteſtate præfulgent, Turpiſſimum eſt enim eos, vim non habere ta-

Luc. c. 4.

Ioan. c. 7.

Ioan. c. 6

lem, vt subiectorum animos vel mulceant conmotos, vel terreant elatos, vel flectant rigidos, vel abiectos excitent; vt quã fieri potest aptissimè ad rectum viuendi genus traducãt eos. Quod quidem præcipuum eorum, esse munus, vocari in dubium non potest. Ait enim Vates. labia sacerdotis custodiũt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Malac.c.2

Ignorat homo quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit quis poterit ei indicare?

VErba certè stulti multiplicant atque ad hanc ineptiam eam addunt; vt plerunque ijs de rebus rationem instituant, quę longè ab hominum cognitione semota sunt, vt futura atque præterita. Ac ignaui isti quò sic apud homines sapientes se probẽt, prompte quid prius extiterit, quid postea futurum sit; noscere se profitentur. Nec mirum ignorantiæ enim (vt dicitur) omnia plana. Siquidem cum quid intersit inter perspicuum & obscurum, præclarè nõdum teneant: pari ratione omnia metiuntur. Contra. Vir sapiens quoties de rebus abstrusis ab ipsaque natura inuolutis ratio habẽda est: difficultate deterritus accuratissimè quærit, inuestigat: tantumque abest, vt ita temerarie de rebus altissimis pronũciet: vt diutino potius ad ea euoluenda, vsus studio, pauca loquatur. Patet igitur ratio vnde nam preuenit stultum verba multiplicare: sapientes vero eis parcissimè vti. Cum igitur neq; prętерita neque futura sint hominibus explorata, miserię nõ deest causa, quoniam animi nos pẽdere semper necesse est.

Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.

PErgit adhuc inconditas stultorum persequi ineptias: atque (vt mea fert sententia) licet possit intelligi vel de, ea ecclesia quæ cum demone ac vitijs conflictans militans dicitur: vel de illa quæ sui sponsi suauissimis amplexibus fruens, triumphans appellatur: ambę namque iure optimo ciuita-

Ephes. c. 2. tes nuncupantur. Hinc D. Apostolus de militante loquens aiebat fidelibus. Iam non estis hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum. De triumphante, autem alio loco. Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Psalmus quoque. Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. Tamen sensus est. Stulti vsque adeò quid senserint explicare ignorant: vt si peregrinus quisque vrbem aliquam incognitam sibi, adire velit, cuius iter ignoret: studeatque ab ijs stultis itineris rationem cognoscere; ita precise obscure ac inuolute respondent: vt magna pei contantibus, ad eorum capiendum sensum, molestia exhibeatur. Quo fit vt longa atque confusa circuitione verborum, altius in itineris ignoratione implicentur. Quibus ita constitutis, vt eo recurrat oratio vnde digressa est: persuasum habere debemus, in rebus istis lubricis atque fugacibus, diuitijs, videlicet, voluptatibus, clientelis dominatu, quibus magnopere stulti abundāt, quam minimum ad exhibendam fœlicitatem pondus consistere; neque eius esse generis, vt possint à tot tantisque incommodis & fœditatibus vindicare eos, in eorum copia constitutos. Patet etiā nostrum vere non esse, neque alterius cuiusquam; quod auferri, quod eripi, quod amitti, potest: quodque & stultis & sapientibus communi ratione contingit.

Hebr. 13. Psal. 81.

Væ terræ cuius Rex puer est: & cuius principes mane comedunt. Beata terra cuius Rex nobilis, & cuius principes vescuntur ad reficiendum in tempore suo non ad luxuriam.

SIquis calamitatum ac scelerum quibus pessime perturbamur causam indagare studeret: vt liberę voluntati primas partes tribueret, proximas certè perniciosis regibus, perditisque magistratibus deferendas iure censeret. Etenim cū alios imitandi vim præ cæteris animantibus habeat homo: fit vt totius vitæ cursū ex imitatione traducat. Quod si vniuerso hominum generi imitandi alios natura comparatum est, prẹclarius certè atque propensius eos sequetur, quos vulgus opibus authoritate, potentia, cæteris excellere animaduertit,

uertit,vt exemplar eximium,ad imitandū,propositum.Hinc poe ta mobile mouetur semper cum principe vulgus.Siquidem præclarum existimant, suamque ad dignitatem egregium principum mores, instituta, facta sequi. Quo quidem vno se illustrari credunt, in eorumque numerum referri. Et quis est, qui ad excellentiam non contendat? At eos certè imitari,qui primo loco sūt,vel maximè excellere est. Quod animaduertens Dominus. Quæ dicunt (inquit) facite quæ autem faciunt facere nolite. Cum itaque permissa Dei facinorosi principes & quibus luxus: vitæque genus fractum & effæminatum cordis est nihilque decorum, nihil integrum, nihil viro dignum placet, rerum gubernacula temperant & administa, quam luctuose quamque misere ea cum Republica vel Regno agitur? Tum namque literarum studia iacent, nihil altum suspicitur,honestas violatur, iuditia vænalia habentur, ius omne conuellitur, rerumque totus decor atque ordo confunditur.Hinc proborum proscriptiones atque interitus,inopum opprefio, perditissimorum assentatorum nō ferenda violentia; vt pœnarum nostrarum hac in vita nulla acerbior,nulla sit capitalior, ac eius generis ferre principatus. Ob quam rem iratus Dominus. Dabo (inquit) pueros principes eorum & effeminati dominabuntur eis. Pueros autem appellat, non etate,sed sensibus,sed rerum ludricarum ac puerilium studio. Pueri namq; etate nihil graue,nihil laude prestans,ob rationis imbecillitatem agere queunt: haud secus isti impellente libidine, tametsi centesimum agant annum. Quorum quidem vitam turpissimā depingit cum ait. Mane comedunt &c. Intemperatum earum rerum vsum qui bus libido effertur,significare volens.Nā cum voluptatū omnium,primæ sint ac quodā modo potiores,quę cibo potioneq; cōtinētur: ex eis,prauarum voluptatū genus omne sub intelligentiam cadit. Quotus enim quisque est, qui gulæ gen ioque immoderatius indulgens,libidines turpesque confestim non sequatur voluptates? Verumenimuero quam prospere, quumq; fœliciter illo cum Regno vel familia agitur, cui principes honestatis cultores,probitate illustres,erudi-

Mat.c.15.

Esa.c.3.

tione præclari, frugalitatis amatores, præsident? Hæc enim omnia eo verbo continentur. Nobiles. Nam si ad eam nobilitatis rationem, quam vulgus spectat, quæque opinionis errore fingitur, ex claritate maiorum aut dignitatis amplitudine; sermonem retulisset; omnis Rex nobilis existimandus esset. At sapiens eum solum nobilium innumerum referendum censet: qui honestatis & modestiæ virtute potissimum elucet. Hinc poeta. Nobilitas sola est atque vnica virtus. Fieri enim potest vt rerum summam & imperium consequatur quis, siue vulgi electione, siue hereditario iure; tamen cum vitijs & inscitia turpissime squaleat; quomodo nobilis? quomodo præcellens? Etenim si nobilitatis cuiusque initia spectemus, ea certe ex virtutis splendore reperiemus eluxisse: quæ quidem in posteros propagata, generis claritatem in familia peperit. Ex quo efficitur, virtute propria ac singulari præditos, longè multo eis excellere, qui generis splendorem maiorum iure consecuti, turpissimas ei vitiorum tenebras offuderũt. Nemini enim dubium est, quod virtutis, ratione sublata, hominum dignitas eadem est: quorum diuersa non est natura, & parentis primi communio. Et quidem absurdum valde esset, quos propria facinora commaculant, posse aliena virtute illustrari: cui nihil operis, nihil voluntatis contulere. At scimus longe à nobilitate abesse eos, qui virtutem sponte non coluere. Itaque generis splẽdor virtute accenditur, vitijs vero sine dubio extinguitur. Idque sapiens declarauit his verbis. Cuius Rex nobilis &c. Postremo id in hac re causam continet; quod & si voluptati se dedere, omnibus in vitio ponatur magistratibus in primis turpissimum existimatur: cum id non modo ipsis re vera noceat, sed pœstem afferat cæteris; quoniam licere sibi putant ea, quæ principum exemplo bona esse opinari possunt. Atq; huc pertinet id Isai. omne caput languidũ & omne cor merens, hoc est; & qui præsident, laborant vitijs, & qui consulunt dolore anguntur quare sequitur, à planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas. Nimirũ quod principum vitia, in subiectorum perniciem redundant.

Cap. 1.

In pigritijs humiliabitur contignatio; & in infirmitate manuum perstilabit domus. In risu faciunt panē, vt epulentur bibentes; pecuniæ obediunt omnia.

MAla quæ in homines ex principum deprauata viuendi ratione importantur, percēlere non desinit: vt omnibus opibus abigere hanc pestem contendamus. Nam quo loco principes gulæ ac luxuriæ vitio difluētes regnum obtinent, ibi omnis rectæ actionis studium iacet: omnis ignauię ac desidiæ ratio viget. Ex quibus postea earum rerum iactura sequitur, quæ non nisi studio ac diligentia comparantur: oporteretque iisdem artibus conseruare. At cessans segnities, langorq; effeminatissimus, vt parare sibi quæ opus sunt, labore deterritus respuit: ita tueri quæ iam parata sunt, nihil studet: atque id ex manuum infirmitate hoc in loco explicatur sacra enim oracula operandi vim, manus appellatione significant. Hinc in præclarę mulieris laude dicitur. Manus eius misit ad fortia. Ac profecto cum plus æquo, abdomini ac gulæ opera datur, necesse est, bona studia iacere, desidiam summam sequi; quod obæsus venter ac turgidus moliri quipiam, aut ne cogitari quidem sinit. Id autem in postremum animo expendendum est: quod accomodate copiarū omnium pernities significata est: cum domus & contignationis mētio facta est: etenim si hæc quæ permanere diu queūt, quæque ab ijs detrimentis quæ ignauia importat, tueri se facillime possunt; eiusdem labe euertuntur multo id magis in supellectilem numeratamque pecuniam īminere sciamus. Quod vt non mediocris sit calamitatis argumentum: id tamen quod sequitur, minus ferēdum videtur tantam scilicet, morum fieri dissolutionem, vt neque recti neque iuris, præterquam æbrietatis & luxus, ratio habeatur. Quinnimo tunc pecuniarum vsus antiquissimus erit, rerumq; summam consequetur: quoniam tanta voluptatum sitis, abdomenq; insaturabile expleri, nisi multis copijs, ingentique sumptu quî potest? Quo fit vt pecuniarum congestio summopere curetur:

Proue. 31.

tur: iustitiæ vero, æquitati, honestatique loci relinquetur nihil: quod id temporis pecuniæ studium summo loco ducetur, illam colent, illi obsequentur, in ea vim sitam esse summam, persuasum habebunt. Quo certè nihil fœdius excogitari potest: Quando eius rei cuius vsus vel in postremis nobis habēdus est nos ipsos sordidissime mancipia exhibemus: atq; eò spectat id Esaie. Veh qui iustificatis impium pro muneribus, cum prius de æbrietate verba fecisset. Fieri enim nō potest, vt qui abdomini seruit, id, vt impleat, si tamen impleri potest, pecuniarum cupiditate non ardeat? ac ob id iudicandi veritas labefactetur & concidat.

Cap. 5.

In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubili tuo ne maledixeris diuiti: quia aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt sententiam.

AMplissimus ex his quæ dicta sunt patet aditus ad principes maledictis & conuitijs insectandos. Difficile est enim tam nefarios tamque perditos verbis male non accipere, & quasi obtrectationibus agitare. Porro autem abstinendum ab eiusmodi procacitate suadet Salomon: non ea tantum ratione vsus, quod cum Dei partes gerant, ab eoque in imperiū asciti sint, nobis omnino ferendi sunt: verum etiā ex commodo nostro. Magnum enim ex taliū obtrectatione periculū impendet nobis quodq; euitari vix potest, nisi lacerādi eos petulantiā fugiamus. Cum enim ij opibus, clientelis authoritateque polleant, plures suæ gratiæ studiosos habent, quiq; eam, assentationibus delationibus furatisque officiis, student expiscari. Ex quo efficitur vt quicquid ad illorum pernitiem vel infamiam facit, cōtinuo ad eorum aures ab eiusmodi deferatur: neque eos quicquam lateat; quare principes ira conciti exardescunt in vltionem: obtrectatores misere oppriment, contumelijs, cruciatibus, nece quoq; afficiant. Itaque principes, quique imperium tenent, carpere ac vellicare nemo debet: quando nusquam deerit, qui inuidioso hos sermones ad eorum pernitiem, deferant. Quo-

tus

tus enim quisque fidei rationem habet, nec suo commodo consulens, alienum detegat secretum; tametsi propinquitate amicitiæ, etiam coniunctus abtrectatori fuerit? Quamobrem vt quoscunque carpere in vitio & quidem pernicioso ponitur: id committere in principes summopere cauendum est: quod facile fit vt ad eius rei notitiam veniatur; etiam per eos, quos minimum suspicamur. Hæc enim vis subiecta est illis animantibus quæ ratione simul & deferendi vacant facultate: quod quidem ad hyperbolim accomodate refertur. Itaque abstinendum est omni ope à cõtumelijs & conuitijs principi inferendis: quod latere eos minime potest: quoniã & si homines id non referant, bruta tamen animantia & volucria patefacient. Perinde ac diceret; nunquam deerit qui id ipsis e uestigio nunciet atque declaret.

CAPVT VNDECIMVM.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas quia post tempora multa inuenies illud.

MORTALITATIS nostræ decursus explicat aquarum nomine homines appellatos: continuo namque atq; citissime vt flumina transeunt & labuntur. Ac eo spectat, illud Apochalipsis. Aquæ multæ populi multi. Atque illustrius. Beati qui seminatis super omnes aquas. Panis vero notio atque facultas est, vt omnia agendæ vitæ necessaria quæque ad victum cultumque attinent, significet. Hinc in precatione Dominica. Panem nostrum quotidianum dari postulatur: cum de ijs sermo haberetur, quibus ad vitam tuẽdam opus habemus. Eiusmodi vero hominibus naturæque nobis societate coniunctis, impendere exhortatur sapiens, efficacissima vsus ratione. Quoniam huius rei amplum capiemus consequenti tempore fructum, cuius debet animal rationis particeps inire rationẽ: quod animi immortalitate donatus, æternorum seculorum domicilia, viuen-

Cap. 17.

Esa c. 32.

Matt. 6.

viuendique rationem expectat. Itaque egentibus distribuendo nostra, hoc seculo, thesaurus paratur ad vitã æterno euo degendam. Quisquis enim pietatis & misericordiæ offitijs ad indigentium subleuandam miseriam suum studium modo conferet: haud dubium, quin eximia postea emolumenta referet. Beati namque misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Est enim vsque adeo, Deo optimo maximo pietatis studium charum atque gratum, vt nullius rei in futuro examine ferè quam huius se habiturum rationem, testetur. Exuriui inquiens & dedisti mihi manducare &c. Etenim turpe est quibus cum naturæ, Christi non nisi gratiæ, cælestisque domicilij, communio intercedit: cum eis victus cultusque distinctionem habere. Quando proximè & secũdum Deum homines hominibus maxime vtiles esse debent: vt commendatam generis humanæ societatem integrè tueamur.

Mat. c. 5.

Mat. 25.

Da partem septem, nec non & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

MVlti sunt qui persequi officia pietatis putant summa cum honestate coniunctum. Veruntamen parcius id faciunt quam charitatis lex precipit, ac societatis ratio postulat. Quos contra Apostolus. Qui parce seminat parce & metet & qui seminat de benedictionibus de benedictionibus & metet. Etenim vt ĩnumeris circũsedimur angustijs, ita si largius & vberius res nostras in aliorum restituẽda calamitate tribuemus: perfugium non deerit. Et quidem quæ tutior adest via tum ad contraria euitanda tum ad commoda & ornamenta comparanda, quam multis benefitia pręstare? Hoc enim modo nostræ & dignitatis est cõmodi, multi quoque studiosi inuenientur. Omni itaque auaritiæ sublato vitio, non parce, non tenuiter semper indigentibus succurendum est: siue septem fuerint, siue octo: ideſt quibuscunque. Omni enim petenti ex Domini sentẽtia est tribuendum. Sic enim fiet vt eorum vires atque studia inquolibet nostro ad

2. Chor. 9.

Luc. c. 7.

sint

ſint diſcrimine: maximè cum ea ſit præſentis temporis ratio, vt à fortunæ iniurijs nemo ſecurus ſit: nec quid incommodi eueniendum ſit, præcauere poſſimus. Quocirca ſi aduerſis fortunæ flatibus agitemur, eorum quos beneficio affecerimus, ope & ſtudio facile ab imminenti naufragio liberabimur. Nemo igitur negligendus: quando opportunitas poteſt accidere, in qua vel abiectiſſimorum auxilio egeamus. Et quid ita ad omnem humanitatē abduruimus, vt niſi Dei permiſſu imbecilles eſſemus & calamitatibus circumſcepti, rapere potius aliena, quā tribuere noſtra curaremus. Quam cogitationem ſalutarem admodum, dubij ac imminētis mali euentus nobis affert.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ſiue ad Auſtrum ſiue ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit.

MAgni eſt certe, benefitijs & officijs præſenti tempore homines illigare: quod & huius in hoc, vitę ſecuritas ſita eſt: & æterni æui tuta merces. Quare vt id illuſtrius patefaceret, eorum quæ ſub ſenſu cadunt, exemplum affert dicens. Quemadmodum quæ naturæ tantum impulſu & impetu ducuntur, omnique vacant rationis delectu, id inſitum atque ingeneratum eſt, vt vberrime ac profluenter ſuorum bonorum alijs partem tribuant: quanto id magis ab ijs efficiendum eſt, quos ratio & prudentia ad agendum impellit? At qui nubes nullo cōſilio proprio, nulla mercedis ſpe propoſita, cum aquis vaporibuſque fuerin completę, ſitienti terræ optatam ac neceſſariam nō parce non exigue atque adeo omnis tenacitatis peruerſitate ſemota impertiuntur pluuiā. Non ſecus quiſquis copijs ac fortunis affluerit, non ventri tantum, datis, ſed menti: non ad luxum ſed ad opus pietatis elargitis: prolixo animo alienæ miſeriæ opitulari debet, deque indigentibus largius bene mæreri: vt Deo reddat, quod tyranno ſubtraxerit corpori: ac ei quipiā donet: à quo hoc ipſum quod eſt, quod viuit, quod intelligit, quod Regni cæ-

lestis particeps, quod socius æternę hęreditatis, quod Christi Frater ac dei filius est, accepit. Hoc enim celestes opes mæremur maxime, quod egenis terrenas liberaliter impertimur. Beatus (ait) Vates, qui intelligit super egenum & paupere in die mala liberabit eum Dominus. Cui studio vt assidue incumberemus, mortis eiusdemq; temporis horam ancipitem, sapiens ad memoriam reuocat. Sumus namque in hac vita non aliter ac ligna plantati, atque sicut ea necessario si excidēda sint, quam ad partem casu deflectant, vix aut ne vix quidem sciri potest: quando & ad Austrū & ad Aquilonem possunt decidere. Veruntamen si facto casu vnam inclinarit in partem, suo pondere ad aliam ægre ducetur: tametsi antequam excinderetur, impulsione leui, trudi ad oppositam poterat. Ita duæ sunt viæ duplicesq; cursus animorum nostrorum ex corpore excedentium: nam qui se humanis vitijs cōtaminant, & se totos libidinibus dedunt, quibus obcæcati veluti domesticis, sceleribus se inquinant, vel in socio violando fraudes inesplicabiles concipiunt, nullumque pietatis proferunt fructū, ijs deuium quodam iter seclusum à beatorum consilio & æterna fœlicitate aperitur: quo extremas ad calamitates discendent, qui autem se integros castosque seruant, quibusque est minima cum corpore contagio, facile ad cœlum cumulatamque omnium bonorum sedem eis assensum patet: in qua placidissime æterno ęuo conquiescent. Itaque id Aquilonis ac Austri nomen sapiens significari voluit. Hinc Propheta ab Aquilone pandetur omne malum. Regius etiam Vates precabatur dicens: Conuerte Domine captiuitatem nostrā sicut torrēs in Austro. Eoq; spectans in Canticis sponsa. Surge inquit Aquilo veni Auster persla ortum meum & fluent aromata illius. Enitendum est ergo vt antequam ex hac vita abeamus pietatis pondere, honestatis grauitate, totiusque virtutis robore, propendeamus ad Austrum, vt fructum fœlicitatis in vberrima illa & affluentissima vitæ Regione capiamus.

Psal. 40.

Hier. 1.

Psal. 125.

Cap. 4.

Qui obseruat ventum non seminat & qui considerat nubes nunquam metet.

ADeo nos pietatis studio, quo ad hac mortali vescimur aura, incumbere oportet: vt eo ex opere nullis contrarijs flatibus, nulla fortunæ iniquitate, retrahamur. Semētem enim facimus æternæ messis. Vt vero agricola si semina cōmittere sulscis ea re renuat, quod agitari aerē vētis, obuolui nubibus sentiat: idque operis velit perfectam ad serenitatem reijcere; se amentissime gerit: neque lætissima messe perfruetur: quoniam vix fieri potest, aut plane non potest, vt is aliqua non agitetur aura, nulloque nubium inuolucro contegatur: quod terræ halitus excitantur semper, aquarum flatus assidue commouentur: ex quibus & venti fiunt, & coguntur nubes: vt rerum commutatio ad Mundi incolumitatem permaneat. Quocirca si deterritus ijs, ab opere desistet, suauem messis fructum non consequetur. Ita sanè si ea ratione pietatē colamus, vt beneficio eius omni molestia liberemur: nec quicquā experiamur mali, operam certe ludimus. Vita enim hęc præsens perturbationibus & calamitatibus miserè subiacet: nec fieri potest, vt tentationum procellis, erumnarum nubibus hominum animi non agitentur, & obtegantur. Itaque futuræ in cœlo mercedis suauitatem animo reputantes, qualemcunq; fortunæ iniquitatem ne flocci quidem ducamus: ac potius subleuandis, & recreandis afflictis, firmius insistamus: eorum secuti exemplum, de quibus dicitur. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Psal. 125.

Quomodo ignoras quæ sunt viæ spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: ita nescis opera Dei qui fabricator est omnium.

RAtio efficax est, vt si ea quæ circa nos sunt, vt venti, vel intra nos vt corporis nostri constitutio, prorsus scire

haud possumus, quomodo ad diuinorum operum quæ longius absunt, scientiam aspirare licebit? Nam tametsi plures ventorum causas & vires, scrutati sunt; eo se hallucinatos præse tulerunt: quo difficultate rei oppressi, in diuersas abiere sententias: vt præclare Christus Dominus dixerit. Spiritus vbi vult spirat, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Quid de corporis in ventre matris concretione & coagmentatione memorem? cum res sit adeo inuoluta vt ne probabile quidem ne dicam verum quipiam, possit afferri? Vnde enim membrorum distintio? vnde neruorum contextus? venarum procreatio? domicilia cerebri? cordis meatus? vnde vitalis spiritus haustus? profecto, intelligētiæ nostræ non est perfecte consequi; quanto magis itaque diuina opera nostram cognitionem vincent? Nam vel qua ex materia cœli concreti sint, quomodo sic statis ordinibus & celerrime contorqueantur, & rerum vices tantas rebus mortalibus afferant; admodum in ambiguo sunt hæc posita: & quæ sunt eiusdem generis. Ecquid certi & cogniti adducere poterimus Deum hunc repellere, illum accersiri & eligere; quod hic malus florentissimo gaudet statu, ille pius acerbissimis fortunæ telis conficitur? Igitur mirabilia opera Dei quæq; ab intelligentia nostra longè semota sunt. Quare benignitatis semper habenda ratio est: nescimus enim quando vult Deus opera nostra vti, & quando in eum locum nos deducere; vt aliorum benignitatem sustentemur.

Ioan. c. 3.

Mane semina semen tuum & vespere non deficiet manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc an illud; & si vtrūque simul melius erit.

IDem pertractat argumentum seminantium metaphora vtens: quoniam ad id explicandum nihil reuera accomodatius. Quis enim (nisi experientia obsisteret) iure eum non reprehenderet, qui fruges iam collectas atq; in horreum cōgestas, expeditum ad vsum habet: tamen in arentem terram atque cœli expositam iniurijs iactat, in qua putrescentes iacturam

ctu ram potius quam cibum profectò exhibere videntur? At vero animum ad messem referentes, quodque vno ex grano renascuntur multa: summoque cum fœnore suscepta semina, terra reddit; vident clarissime agricolam optimo consilio vsum, quod ad vberrimam segetem pauca grana cõmittit sulcij: neque ita rei præsentis ratione ducitur, quin ad futura lucra animum applicet; Quorũ etiam ratio est vt nec vẽtorum nec pluuiæ nec cœli iniurijs abducti, mane, hoc est omni abiecta mora, ad vesperam vsque, sementem faciunt, amplam & multam: vt si spes ex quibusdam fuerit elusa, ex reliquis percipiat optatum fructum: neque enim tanta temporis esse labes potest: vt ex multis seminibus non oriatur aliquod. Eadem ratione demus nos ad omnẽ pietatis fructũ, facultates terræ mandemus: hoc est abiectis, egentibus, afflictisq; largiamur; neq; hac in re detrimenti quicquam nos facere arbitremur: illuc reuocantes animum, in quo messores Angeli sementem multo fœnore adauctam, non modo reddent nobis, sed etiam in ęternum horreum ad immortalitatem recondent: idque curemus, mane, hoc est, à primo ætatis flore vsq; ad senium neque quauis specie, insistamus; Egregie namque hac viuendi ratione nostræ saluti consulemus; quoniam non est verendum, quin plurimis ad pietatem relatis studijs, aliquod Deo gratum ac mercede dignũ efficiatur. Licet enim exploratum non sit, hoc ne an illud Deo placeat: tamen si ipsius benignitate fiet, vt vel alteram vel vtrunque eius iuditio probetur: tum conscientiæ suauitate perfusi, alacri animo agentes gratias dicamus. Omnia opera nostra operatus est in nobis. Nam vt nostra sunt, neq; gratiæ tuæ dulcedine condita, vt pannus sunt mestratæ.

Esa. c. 26.

Dulce lumen & delectabile oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo & in his omnibus lætus fuerit: meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum: qui cum venerint vanitatis arguentur præterita.

MVlti quidẽ sunt qui vitę huius iucunditate ac dulcedine capti, ne minimam quidem de his quæ post obitũ con-

consequentur, rationē suscipiunt. Non secus ac, nōnulli sunt qui solis venustam claritatem auream, decoramque diei faciem aspicientes, ea suauitate & lætitia efferuntur, vt obliti prorsus vicissitudinem rerum, nunquam nubibus solem præfulgidum tegi, nunquam aeris splendorem tetris vaporibus offundi, animo cogitant. Et tamen rerum deposcit ordo, vt diei nox, aeris claritati nubium obscuratio succedat. Ita rerum quæ hic sunt extrema linea, mors est: quamque breue sit inter vtraque interiectum spatium, si cum æterno

Sap. c. 2. Iacob. 4. Iob. c. 14.

suo conferantur, ne cogitari quidem potest. Sumus enim insomnium instabile, quod inanissimum est: spectrum quod vestigium non habet: puluis, vapor, ros matutinus, flos protempore nascens atque marcescens; & quæ sunt huius loci. Et licet annis multis, è cœlo spiritum, ducamus, ac statu secundissimo gaudeamus; quia tamen naturæ lege cōstitutum tributum mortis, tandem dependendum est; terræ ludibrium efficimur, vt cum non simus nascamur, cum nati sumus, rursus dissoluamur. Igitur vt quid insolenter de rerum secundo statu gloriamur, certum cum sit, omnium in morte iacturam esse faciendā? Cuius sanè vicissitudinis statę, tenebrosique temporis, quando nullus residebit sensus in corpore: si altius rationem, dies noctesque expendamus; reprimetur non modo intemperantia animi, sed mortalium quoque rerum liquido cognoscetur inanitas. Quod in libro Sapientię

Cap. 5.

improbis euenisse narratur. Quid (inquiunt) profuit nobis superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? transierunt omnia tamquam vmbra, &c. Quam cogitationem si dum viuerent, suscepissent extrema supplitia non subijssent.

Psal. 144.

Agitemus itaque semper id in animo. Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Atque etiam; poeta ait. Pallida mors, æquo pede pulsat pauperum tabernas Regumque turres. Vita igitur hominum fragilis & fugacissima est. Qui enim modo vigebat, & formosissimus erat, dicto citius edita anima tabescit, & penè in nihilum recidere videtur, at vero qui ita se cō parant, vt quantumcunque pręsens vita prorogetur, numquam

quam tamen mortis memoriam deponant; ſed veluti hoſpites cœleſtiũ amore exardeſcant, quamuis ſuapte natura ſint inanes,& caduci,æuo tamen ſempiterno beatiſſimi fruentur hi ſunt Dies multi, ac potius clariſſima lux & pulcherrima, occaſum neſciens,qua ſummi boni faciem iucũdiſſimam intuebimur. Igitur & tenebroſi temporis meminiſſe debemus, hoc eſt mortis,qua lucis huius iacturam faciemus;& dierum multorum, id eſt, æternitatis, vt & illius ſtimulo ex ignauia excitemur, & huius ſpecie ad beatitudinem inflammemur.

Lætare iuuenis in adoleſcentia tua,& in bono ſit cor tuum,in diebus iuuentutis tuæ: & ambula in vijs cordis tui,& in intuitu oculorum tuorum. Et ſcito quia pro his omnibus adducet te Deus in iudicium.

VT variæ ſunt ætatis partes,ita maxime iuuentus Naturæ munere floreſcit. Feruor enim ſanguinis, ſucci robur, neruorum firmitas, animi vigor, conſequentis temporis ſpes concepta,gaudium affert,fœlicitatem promittit,nihil aduerſi pertimeſcit. Tum vero neque cordi quicquam, neque oculis denegatur; ardet cupiditate ille, ij petulantia inflammantur: aditus eſt ab iſtis ad illum, totius obſcenitatis & turpitudinis. Itaque nihil eſt iuuentute magis lubricũ, nihil ad voluptatem procliuius; vt merito omnium opibus refrenanda & coercenda ſit. Quod quidẽ egregiè facit Salomon,diſſimulantia vſus, per quam aliud intelligit, aliud dicit. Etenim abſtinendum prorſus decernit; ab omni lætitia geſtiente,omniq; prauitate;quod accuratiſſimè apud æquiſſimum iudicem Deum,quæſtio de omnibus habebitur; neq; perditis ſupplicia deerunt,neque honeſtis viris præmia virtutis deficient. Itaque ait. Dum ætatis flore ſplendemus,atque vigemus,ab omni nos inani,ac turpi gaudio,ab intemperantia cohibere debemus,neque habenis remiſſis,oculorum libidinem, cordiſque noſtri ſitim inexplebilem voluptatis ſectemur. Enimuero manet acutiſſima illa diuini iudici perquiſitio, cuius in manus (ait Apoſtolus) incidere horrẽdum ſatis

Epiſt. ad Hebr. 10.

latis est: voluptatemque captam ad momentum temporis, sempiternum malum consequitur. Oportet enim nos omnes esse ante tribunal christi, vt referat quisque sua merita. Optima profecto adolescentum informatio, eruditio singularis: cuius si terminis coerceatur lubrica ætas, non prolabetur ad mortem, sed fœlicitatem consequetur eam, quæ de agitur apud Vatem. Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua &c.

Tren. 3.

Aufer iram à corde tuo, & amoue malitia à carne tua. Adolescentia namque & voluptas, vana sunt.

OMnis, qua ad vitia labimur via, persequendis bonis, vitandisue malis continetur. Bonorum est cupiditas, vel amor: malorum, declinatio, & ira. Illa quidem iucunda expetimus, hac, perniciosa declinamus. Veruntamen ijs adolescentia ita effertur, præcepsq; labitur: vt & implacabili iracundia efferuescens animi consilium despiciat; & obcæcata libidine, honestatem abhorreat. Quocirca adolescentem sapiens iure admonet. Vt tam ab ira quæ cordis efferuescentia appellata, in corde merito versatur; quam ab effreni cupiditate, quæ animum excedens, malitiæ nomen tulit, sese omni studio temperet. Quisquis enim nec carnis voluptatibus demulcetur, nec iniurijs, impetu iræ exagitatur; ac potius mediocritate rerum, animi tranquillitatem tuetur: is planè suis rationibus præclare consulit, atque prospicit. Quibus idcirco strenuam nauare operam debemus; quoniam adolescentiæ florem cito marcescere, voluptatisq; sensum breui extinctum iri experientia videmus. Quæ est enim vita vestra? ait Iacobus. Vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Huc accedit inanes non modo voluptatem adolescentiamque esse, sed exitiosas; quod æternis nos afficiunt supplicijs; sic enim dicitur. Quãtum exaltauit se & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum & luctus. Itaque summa ope niti homines debent, adolescentes imprimis, vt prudentiæ luce adhibita, & vitandis malis, & asciscẽdis bonis, delectum, habeant

Epist. Iacob. 4.

Apoc. 18.

habeant,eum,à quo & iræ temeritas,& voluptatis absit blanditia; quibus omne iudicium exoculari solet; isque aptissimus ad omnem pietatem gradus erit.Ira enim viri iustitiam Dei non operatur; Ac Iacobus. Quapropter abijcientes omnem immunditiam & abundantiam malitię, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras. Lenitudo namque animi, hominum pariter & Dei gratiam conciliat, & tuetur.

CAPVT DVODECIMVM.

Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ: antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas non mihi placent.

PLVRIMIS ac efficatioribus,& exquisitis vsus est rationibus sapiens,quo mortalium & caducarum rerum amor conuelleretur nostris ex animis: nihil vt certè ad id efficiendum desiderari queat. Id tantum superest,vt eorum error, & inanitas eludatur; qui virtutis honestatisque cultum, ætate affectis tantum sentiunt conuenire: at iuuentutis flore,voluptati,genio, libidinique indulgere,turpe, non putant; tanquam ætatis ratio id exposcat. Ingrauescentis namq; videtur ætatis esse, à carnis se illecebris temperare,persequi grauitatem virtutis. De adolescentibus vero non ineptè poeta ait. Gestit paribus colludere,& iram colligit,ac ponit temere:tādē,gaudet equis,canibusq;& aprici gramine campi.Verum .n. id nō modo nostra cū salute pugnat,sed eiusmodi à teneris dissoluta viuēdi ratione suscepta ita hæreat necesse est turpitudinis virus;vt nō tantū cōsuetudine peccādi in senectuté serpat sed etiā animum ita occupet,vt ad bonū cōmutari vix cōcedatur. Hinc poeta. Quo semel est imbuta recens, seruabit odorē,testa diu. Multū est.n. à teneris assuescere.Itaq; honestatis studia ad senectutis vsq; tempus differenda non sunt. Verum dum viget sensus, dum

animus valet, vires ad sunt, integritati morum, mentisq; decori operam demus: ita enim fiet, vt & nobis recti viam ingressi præclare consulamus, & diuino numini ab omni fœditate alieni, cultum iustum adhibeamus. Hoc est enim, illius meminisse. Quæ vero ratio id non suadet? Is namq; est optimus rerum effector & creator, à quo amplissimum huius mũdi opificium nullo ex materia fabricatum est: idq; nulla vi, aut necessitate coactus: sed sua sponte, & voluntate instituit, vt rebus quæ ab ipso sunt effectę, bonitatem suam impertiretur. Cœlos certo & constanti cursu temperauit: solis splendorem, lunæque & cæterorum ornatum addidit terramque in media mundi parte locauit: iussitque vt ascenderent Montes, descenderentque campi, in locum quem fundauit eis. Aquarum vim suis limitibus coercuit, ne conuertantur operire terram: quam non solum arboribus, omnique herbarum, florumque varietate conuestiuit, atque ornauit: sed innumerabilium animantium generibus, quemadmodum aquas, & aera, ita terras compleuit. Postremo hominem ex limo terræ sic effinxit, vt membrorum præstantia, figuræq; accomodata ratione, præstaret omnibus: cui animum rationis compotem, liberoque arbitrio insignem indulsit, vimq; cunctis præsidentem animãtibus attribuit. Quæ omnia creatoris vocabulo explicantur. Tantam itaque erga nos reputantes beneficientiam diuinam. Quid est cur illius meminisse semper renuamus? cum non sic haustu spiritus, vita nostra continetur, vt Dei memoria salus animi conseruatur. Quod quidem vt omni vitæ tempore curandum sit; maxime vero ea ætate, vt adolescentia, in qua Dei muneribus prę clarissimis suauius atque perfectius vti possumus: senectus enim suis incomodis grauis, vitæque acerbitatibus tristis, horum fructum gustare cum iucunditate non finit. Hinc De Bergelai legitur, quod oblatas à Dauide voluptates respuerit, quod senectutis imbeccillitas eas non fert.

Psal. 103.

Genes. c. 1

2. Reg. 17.

Antequam tenebrescat sol, & lumen, stellæ, & luna; & reuertantur nubes post pluuiam; quando commouebuntur custo-

custodes domus, & nutabunt viri fortißimi, & ociosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina. Et claudent ostia inplatea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volueris, & obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via, florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dißipabitur capparis (quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platea plangentes.) Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam. Et reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Cumque esset sapientißimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit quæ fecerat: & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectißimos, ac veritate plenos. verba sapientium, sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum concilium data sunt à pastore vno His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est. Finem loquendi, pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo; & cunta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni ascondito, siue bonum siue malum sit.

DEscriptio est senectutis incomodorũ, ita elaborata, ita apta, vt hoc in generatione nihil melius desiderari q̃at. Et quamquam varia his explicandis attulerint interpretes, nos ad senectutis imbecillitatem describẽdam referemus

totam rationem metaphoræ. Ait ergo. Antequam &c, opor tebat prorsus mali nihil id arbitrari, quod à Parente omniū Natura defertur: at cum plus ęquo curemus quæ nostra sūt, nostroq; ad libidinē excogitato cō modo, omnia metiamur; fit, vt senectus quę quasi pomorū maturitatem imitatur, malorū numero ponatur. Siquidē tunc constringitur nimia cor pus siccitate, sensus he betantur, natiuus calor languescit, for ma deprimitur, debilitātur membra, vis omnis concidit, nul la sapit vo luptas, nulla labentem penè animum suauitas demulc et. Quin suspicionibus, morositate, terroribus, anxieta tibus, quibus sicci frigidiq; exuperantia necessario subiacet, miserè discruciatur. Quorū omniū singulis verbis notio ape ritur. Cum enim iucundum valde sit, cœli, aliorumq; lucem emicātissimam cernere; id totum senectute adueniente abit, quod caloris innati, vi fere restincta, inutilis oculis exundat humor, quo hebetatur quandoque acies, plerunque obstrui tur, vt nequeamus solis, stellarumq; ad oblectationē lumen aspicere. Hic sensus est Metonomiæ ratione seruata; vt quia non lucent nobis, per se non lucere dicantur. In quam sententiam, poeta, mortem, pallidam, quod pallidos faciat, appellauit. Et Reuertantur (inquit) nubes post pluuiam &c. Quod ex plurimo, profluentique humore pluuiæ instar, stillante, multæ excitantur quasi nubes, quibus obducitur aspe ctus. Est vero & aliud senectutis malum, quoniam sensus ipsi, quibus totius corporis credita custodia est, asciscendis bonis, declinandis malis; perturbantur adeo, vt vix, aut ne vix, quidem fungi suo munere possint. Itaque corporis propinquam dissolutionem denuntiant. Genua vero ac tibiæ quæ non secus ac viri fortissimi molem corporis vi sua susti nebant, labascunt, nutant. Dentes quoque quorum terendis cibis consumebatur opera, orationiquę efferendæ erant instrumenta præcipua vacillant, & ipsi, atque ad exiguum redacti numerum, officio tandem desunt. Porro aspectus acies, quæ videre quodammodo per foramen videtur obtusa tenebrescet. His malis illud accedit, quod sensuum omnium ductus, atque meatus, quos ad vitæ commoda patere

Oratius.

necesse

necesse erat, ætate ingrauescente occludentur in primis os, spiritus imbecillitate claudetur; ac vox ipsa præter modū tenuis, obscuraque fiet. Hoc enim dicitur in humilitate vocis molentis; quod senum labia huc atq; illuc, vti moles tremore circunducuntur. Sequitur. Et consurgent ad vocem volucris. Nam animantium omnium quies somnus, ac vitæ firmissimum præsidium, ita nimia siccitate excutietur, vt vel minimo strepitu, atque adeo ad lenissimam vocem auiculæ, molestā vigiliā incurrat quo durius nihil excogitari potest. Postremo id etiam accedet incōmodi, quod auribus obsurdescentibus concentus, iucundaque armoniæ suauitas, quibus magnoperè ægritudines leniuntur humanæ, nullam eis lętitiam afferre potest. Excelsa quoq; &c. Etenim caput cęteræq; partes corporis, quæ erectæ prius, viuifico calore, celsæque asseruabantur, iā ferè flaccescēte, trement, demittēturq;, terroresq; patientur atq; formidinem. Tunc profluenti etiā capitis humido, pili turpissimè canescent, ac barba cādidior fiet, vt amygdali florē omnino imitentur. Iā vero venter flaccido humore turgescet, atq; locusta, nō quidē pinguedine solida, sed putido tumore, quod innati calidi virtus imbecilla, vapores super uacaneos absumere minime potest. Capparis quoq; dissipabitur; quoniā vel aures obesæ extenuatæq; fient, velut capparis: vel libidinis vis restinguetur: est enim herba libidinis incitatrix. Quæ quidem argumenta sunt certissima imminentis mortis. Quare sequitur. Quoniam ibit homo &c. Siquidem ad vsuram ferè vita hæc præsens nobis indulta, est nulla præstituta die: quô fit, vt modo Natura lucrum repetat, vitæ, videlicet, partem; nunc vocem adimens, nunc auferens auditum, modo figuræ celsitudinem, modo cæterorum oblectamenta sensuum labefactans. Ad extremum vero vitę summam totam immissa morte comminuit, & euertit. Domus autem æternitatis, vocatur mors; non quidē, quod ęuo dominetur ęterno. Scriptum est enim. Omnes resurgemus. Sed cum ad diem vsque iudicij vis, mortis principetur: tunc namque (vt ait Apostolus) nouissimè inimica destruetur mors. Id vero temporis, si cum præ

1.Cho. 15

sentis

ſentis vitæ breuitate qua fruimur, conferatur, æternitatem appellari nihil prohibet. Et circuibunt &c. Adauget hoc mirum inmodum noſtram miſeriam, quod & nobis vitæ iactura fit, & viuentibus luctus inconſolabilis remanet. Sequitur. Antequam rumpatur &c. Pergit adhuc mouere omnem lapidem, vt ſenium minime præſtolantes, Deo ab adoleſcentia ſeruiamus; etenim nihil ſic morti proximum eſt, vt ſeniũ; poſt mortem vero, quæ ratio erit inſtituendæ vitæ? Itaque Dei meminiſſe in iuuentute debemus: antequam nerui quibus coagmentatio corporis, membraq; omnia colliguntur, ac continentur, diſcindantur; hi enim candidi cum ſint, & argenti ſpeciem referunt, & quia membra ligant, aptiſſimè funiculi appellantur, Morte vero diſrumpuntur, eorumque intenta vis labefactatur. Vitta autem aurea, medulla intelligitur, quæ recurret, & diſpergetur in morte. Hydria vero atq; rota, & eandem vim habent, & apte interitum ſignificant. Vt enim perfracta hydria hauriendæ aquæ nulla ratio ſupereſt: ita rotis ruptis, currus circũduci non poteſt, quin præceps labatur neceſſe eſt: non aliter medulla diſperſa, & nos ſublati ex hac luce, omnium iacturam faciemus. Atque huc pertinet quod ſequitur. Corpus reuertetur &c. quoniam animo ex hac vita excedente, corpus quod ex terra cõfictum, in eandem reuertetur. Siquidem cognata ſunt, & Dei oraculo dictum fuit. Terra es, & in terram ibis. Animus vero cum neq; ex gremio materiæ erutus, neque ex elementorum concretione conſtet (vt non minus impie quam imperitè quidam ſenſerunt) immortalis atque ſempiternus ad ſuum euolabit auctorem, cuius nutu fuit excitatus ex nihilo; tumq; vel bonorum merita præmia, vel criminum ſupplicia debita conſequetur. Ac licet certiſſimum omnium rerum inanitatis habere argumentum, quamque inconſultè hi agunt qui rebus lubricis atque mortalibus contineri fœlicitatem putant. Quid enim conſtare poteſt: cum omnium ipſa antiquiſſima vita, atque vegeta exoleſcat? Manens vero ita abiecta eſt, vt quo prorogatur longius eò moleſtioribus calamitatibus implicetur ſenectutis fœdiſſimis nec ferendis.

Geneſ.c.3

Vanitas Vanitatũ dixit Ecclesiastes et omnia vanitas: cũq, esset sapientißimus docuit populum, & enarrauit quæ fecerat, & inuestigans cõposuit parabolas, multas, quæsiuit vtilia, & conscripsit sermones rectißimos, & veritate ple nos.

QVam aptè ad propositum modo reuertitur, rerum, scilicet inanitatem iterum docens; quod primus hic sit gradus, cum ad mundi contemptum, tum ad colendam virtutem? Ac vero vt multa debeant reges subiectum populũ docere; haud scio an quicquam tanti sit, vt à rebus ijs caducis eum abducere, quando si videãtur, principes, qui frui maximè voluptatibus possunt, horrere eas, vt res inanes & futiles; facilius ad ipsarum contemptum adducuntur, qui eorũ imperio moderantur. Neque iactantiæ vitio accusandus est sapiens, quod tam multa, tamque ampla de seipso loquatur: quoniam hæc eò pertinent omnia, vt firma fides dictis suis adhibeatur; quod ab eo viro tradita sunt; qui nihil, nisi suo comprobatum periculo, asseruit; quique longè omnibus sapientia præstitit, nullum quærendi repudiauit laborem, nec inanes persecutus est quærendo, rationes; sed quæ vtilitatẽ continerent eximiam, quæque ad bene beateque viuendum in primis pertinerent. Mandauitque monumentis, quæ & vera essent, & recta; vt neque cæco errore mens duceretur; neque vis expetens prauitate fœdaretur. Hoccine præclarum Magistratus officium. Hæc imperandi ratio præstantissima? quam si his temporibus principes sequerentur, tanta non essent in res humanas inuecta mala.

Verba sapientum sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi: quæ per magistrorum consiliũ data sunt à pastore vno. His amplius fili mi ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis, frequensq, meditatio carnis est afflictio.

PLurimum ad nostræ vitæ informationem verba faciunt sapientum. Vt enim nihil eloquentia laudabilius, ac præstabi-

ſtabilius, vel admiratione audientium, vel fructu loquentiū: ita longè maiòr eſt efficacitas, & admiratio ſapienter ſincereque dicentis, quem qui audiunt eum vnum putant, hominum ſaluti conſulere, de ſe nihil cogitare; longè enim ij ſunt ab eorum prauitate, qui hominum auram captãtes, vana plerunque, nonnunquam falſa, licet iucunda, inferunt in aures audiẽtium. Ex quo efficitur; vt vitiorum colluuie fœdius inquinentur. Sapientes autem veritatis tantum rationem habentes, aſſentãtur nemini; omnibus certe virtutum ſpeciem deſcribunt, vitioru m labem oſtendunt. Itaque ignauia nos torpere non ſinunt, ſed vt ſtimuli aſinorum pigritiam ſolent excutere, ita hominum genus ſatis ad honeſtatem ignauum atque torpens ſapientum ſermo exſtimulat. Qui quidem ſi deeſſet nõ modo deſidia lãgueremus, ſed perditiſſimo ocio iaceremus; Quocirca ad hortationis emẽdationiſue ſermo, qui tamen adhibeatur a ſapientibus, quo ſic temeritas, importunitaſue abſit; admodum eſt hominum generi neceſſarius. Vt enim claui infixi altius, firmiter hærent penetrat longius; ita ſapientum verba percellunt quidem aures, veruntamen ad animum permeant, inſtituuntque mentem. Optimè autem dicitur; Ea eſſe verba eiuſmodi vtilitatis eximiæ: quæ non proprio quiſque ſenſu, vt perditiſſimi hæretici, de quibus Dominus. Qui de proprio loquitur, mendatium loquitur; ſed ſummi paſtoris omniumq; adminiſtratoris Dei, & Chriſti Domini inſtinctu aut eruditione, per ſe, miniſtroſque ſuos ſuppeditantur nobis. Ipſe enim, vt vnus eſt, ita diſſentientes, ac inter ſe diſcreptantes hæreticorum ſententias, prorſus abhorret. Vnam fidem, vnã morum inſtitutionem, vnumque ſinceræ charitatis vinculum flagitat; vnam ſponſam eccleſiam delegit: addens tantummodo magiſtrorum conſilium; dum eligit hos quidem Apoſtolos, alios doctores, atque paſtores, in cõſumationem ſanctorum, in opus miniſterij. Quid his amplius requirendum? Iam Beatæ vitæ quaſi architectum habemus, rerum caducarum inanitate detracta, pietatis honeſtatiſque ſpecie detecta. In qua quidem cognitione ſi maneamus neque vanis ſtudijs auertamur, que

Ioan. c. 8.

1. Chor. 1.

Ephef. c. 3

Ephef. 4.

vt pa-

vt parum habent veritatis,ita explere animum minime possunt:tũ reuera saciati quiescemus. Est.n. mentis suauissimũ pabulum cognitio veritatis. Quæ quidem, tanta opinionum diuersitate obruitur;& tãquam fluctu quodam arcentur homines à tranquillitate constantiæ,& sapientiæ portu. Quot enim philosophorũ dissentientes sententiæ? Poetarum vana figmenta?oratorum ineptæ rationes? Hystoriæ scriptorum aperta mendacia? Quis componendorum librorum finis? Quæ inquisitionis meta?cum vasta sit rerum vis, singulorũque proprietates infinitæ; sensus vero nostri ad cognitionẽ tributi,prorsus angusti,fluxa memoria;mens hebes?Dimittẽda igitur inuestigatio ista,qua fit ut semper discamus, numquam ad scientiam veritatis veniamus. Itaque tantum abest, vt commodi,quicquam & fructus percipiamus ex ea;vt corporis etiam labes & exitium importetur. Etenim assidua meditatione stomachus languet,ora pallẽt, labefactatur vigor, friget sanguis;pituita redundat, totiusque temperamenti ratio soluitur. vt præstet mirum in modum tale studium abijcere aut certe modum adhibere, ad vitæque institutionem rectam se tradere. Quare congruenter sequitur.

2.Thim.3

Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time & mãdata eius obserua, hoc est omnis homo. Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium,pro omni errato,siue bonum,siue malum sit.

PRæclaram sanè tam excellenti concioni clausulam adhibet. In qua quidem & vitæ nostræ apta institutio continetur,& quæ sint nobis futuro seculo expectanda,aut timenda dilucide ipse complectitur:itaque dignus qui ęquissimis & auribus & animis audiatur. Eorum autem primum in priore parte ponitur,alterum vero in consequenti. Etenim nulla hominum in hac vita,verior ratio,accomodatior finis,quam omnium optimum parentem,à quo amplissima cõsecuti sumus beneficia,colere & reuereri,eiusque alacriter obtempe-

iare mandatis. æquum est enim, vt quem omnium animantium præstantissimum, rebusque corporeis præsidentẽ produxit Deus, quemque ex omnibus erexit, atque ad aliquem quasi rationis, & domicilij pristini conspectum excitauit, cũ cæteros animãtes abiecerit ad pastum. æquum, dico, est, sciat se ad honestatem sectãdam, natum, & colendum Deum, quo vno tum homines sumus, tum Dei gente & agnatione tenemur. Huc namque spectat id philosophi. Homo ad duas res videlicet intelligendum & agẽdum natus est, quasi mortalis Deus. Quã certe naturã cũ deserit, nihil quod inter ipsum atque beluam intersit, remanet: quin vitiorum colluuie; labeque ingrati animi corruptus, sese infra etiam conditionem abijcit belluarum. Cognouit (vates ait) Bos possessorẽ suũ, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem nõ me cognouit; & populus meus non me intellexit. Quid enim homini tam tetrum, tam aspernandum, tam indignum, quã quod est turpe, diuinæque religioni contrarium? Et quidẽ impietas opinionum, actionumque prauitas, semper animum excruciãt; & semper solicitant, turbulentæque sunt, vt nemo possit hominum quibuslibet opibus contra conscientiam ita septus esse, ita munitus, quin scelerum quasi furijs miserrimè agitetur: Deique numen semper horreat: quod improbis factis, sensibus impijs acerbissimas molestias, malumque sempiternum infliget. Itaque vt hoc seculo Dies noctesque animi doloribus exedũtur impij, sic futuro seuerissimum iudicium subibunt: quoniam probitatem æque ac improbitatem, in disceptationẽ adducet Deus. Cui quòd omnia pateant, occultum esse nihil potest, quod summa sit iustitia, ad eum, nemò poterit patronum, causæque aduocatum apponere, quem illustrarit eximia ad flectendos animos eloquentia. Quoniam vnicuique erit per seipso maxima omnium gentium, cęlitũque corona, causa dicenda, hærebitque impijs ab inexorabili iudice immissus sempiternus angor. Hæccine est vanitatis debita merces? quæ prauitatis & impietatis progressa gradibus, ad æternam pernitiem cadet. Contra honestissimi homines, quique suis rationibus optimè volunt æterno suo con-

Esa. 1.

Rom. 2.

ſultum eſſe,perpetuis & inexplicabilibus præmijs affici: dimiſſo ſtudio rerum inanium,antiquius nihil ducũt, nihilque ob aliud mentem ſibi à Deo indultam putant; quam vt optimum parentẽ venerentur:ſeque hôc,hominis partes egregie credunt præſtare,ſi piè ſanctèque Diuinam vim præſidere omnibus, rebuſque conſulere vniuerſis arbitrantes, eam ſubmiſſo animo colant, illi libentiſſime obſequantur ac pareant.In quibus profecto virtutis ſumma conſiſtit; ac verbis illis timere Deum mãdataque eius ſeruare: vis talis ſubiecta eſt.Neque enim ſemper Diuinis in literis timere Deum, eſt, eum ipſum horrere, ſed colere potius ac religiosè venerari. Huc illud pertinet. Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Diuus etiam Paulus, precari iubet, vt vitam degamus quietam in omni caſtitate, & pietate. Et quidem vt concludam,hoc eſt omnis homo. Quoniam omnis profecto virtus hominis, omnis dignitas, omnis vitæ iucundæ ac beatæ ſpes, in hoc vno ſtudio præcipue poſita eſt, vt reuereamur Deum, illique pareamus. Cui eſt honor & gloria. Amen.

Deut.6.
1.Thim.2

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

recondi:	car.11	reconditi
horta:	71	hortatu
proſns	20	prorſus
venuſtas	35	venuſtatem
amentorum	85	armentorum
picati	72	pietati
æterna	131	externa
tamen	165	ſtamen
inſtruta	155	inſtructa
fulſcis	179	ſulcis
permiſſa	171	permiſſu
cordis	171	cordi
contortolis	159	contortulis
ſpem	164	ſepem
decede	165	decere
perſpicicue	165	perſpicue

adminiſtra	171	adminiſtrans
inſictia	172	inſcitia
furatis	174	ſucatis
inuidioſo	174	inuidioſos
non niſi	176	nominis
eſt	176	&
& quid	177	& quidem
diſcendunt	178	deſcendunt
quumq;	171	quamq;
ſubſtétemnt	180	ſubſtentemus
meſtratæ	184	meſtruatæ
generatione	187	genere
quam	172	quoniam

& vbicumque reperitur 53 integatur ſcilicet

REGISTRVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ
Aa Bb

Omnes ſunt duerni præter Bb ſemifolium.

FLORENTIÆ.

Ex Officina Sermartelliana. 1579.